SCYTHICA.

DISSERTATIO

AUCTORITATE AMPL. PHIL. ORD.

IN ACAD. ALBERT.

PRO VENIA LEGENDI

DIE XI FEBR. MDCCCXXXVII

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDENDA

FRANC. AUG. BRANDSTÄTER

PH. D.

SOCIO

AUG. GUIL. DE *ZIEGLER*, SILES., HIST. CULT.

ADVERSARIIS

FERD. JUL. HEINICKE, BASTENB.,

PHIL. ET HIST. STUD.

HERM. BOBRICK, REGIM.,

GEOGR. ET HIST. CULT.

REGIOMONTI PRUSSORUM.

APUD FRATRES BORNTRÄGER.

Impressit apud J. E. Dalkowski.

VIRIS CLARISSIMIS

C. A. LOBECK

F. W. SCHUBERT,

PROFF. ACAD. ALB. ORDD. EQUITT. CET.

PRAECEPTORIBUS SUMMA PIETATE COLENDIS

Ἀνάκειται.

Introitus.

Difficile omnino esse de Scythis probabiliter dissere, quum inter viros eruditos constet, ne me quidem fugit. Verumtamen, ut sumus homines antiquitatis curiosi, habet vel ea ipsa difficultas in se aliquid iucundi; accedit, quod haud vile est eius quaestionis argumentum. Praeterquam enim quod omnes de Slavicarum gentium, Hungarorum Turcarum cet. originibus scripturi „ad Scythas veluti tempestate delati tamquam ad saxum repente adhaerescunt [1]);" quid, quod nos quoque Germanos facere conantur (si diis placet) Scythicam prolem? Ego sane talia haud multum moratus philosophandum quidem censui, sed, ut Ennius ait, paucis. Et quum post Bayeri et Niebuhrii curas nemo fere hanc sibi antiquitatis partem illustrandam sumserit, eorum vero utrumque viderim in rebus nonnullis aut a veritate, aut a veri similitudine etiam paullulum aberrasse; in hoc negotio operam col-

locavi, ut, quae veteres de Scythis tum habebant comperta, tum videbantur sibi habere, in unum conscriberem librum. Nam ita demum collecta materia iactisque fundamentis aedificium qualecunque licebit exstruere. Sin vero ea ratione omnino fluxisse nostrum laborem aliquis putat; ne nos quidem temperare nobis potuimus, quin, quae coniectura vero simillima expiscati simus de antiqua Scytharum historia, in medium proponeremas. Et habet illud quidem colligendi negotium, habet, quo offendaris. Quum enim Herodotus sit de illis rebus auctor locupletissimns longeque plurima de Scythis attulerit, is quoque omni errore vacuus non est; imo non scripsit, ut aiunt, sine ira et studio.

Lunae quasi radiis pallentibus collustrata est omnis illa Scytharum regio, nec possumus singulas res satis dignoscere; historiae pater veluti xenagum nobis se praebet; at non sufficit eius ἱστορία nostrae curiositati. Digito monstrat nunc Exampaeum, nunc antiquos Cimmeriorum tumulos; nunc Herculis vestigium saxo impressum, nunc ingentem Scythici regis craterem; sed subobscura sunt omnia, neque ipsi tam acuta oculorum acies, quae possit caliginem rebus offusam perspicere. Permagnum inde con-

iecturae spatium concessum est, magna etiam eruditis myrmillonibus arena; in quam equidem descendere nolim, nisi utique res postulet. In universum tamen videtur annotandum, nonnulla a Rittero coniecta egregie mihi probari; quae de meis addidi, qualia sint, alii iudicent. Caeterum quia Herorodotus solus certam habeat Scythiam, ab hoc fere, ut par est, initium, ad hunc recursus erit. Is vero quum (quantum possumus coniectura assequi) imaginem sibi totius orbis finxisset, nonnulla non potuit in eam referrre; ne tamen haec omnino interciderent, ne ea quidem prorsus omittere sustinuit. Et illos magno opere lapsos arbitrer hortantibus imprimis Bredovio ac Niebuhrio [2]), qui omnia ab Herodoto tradita in nostram terrarum tabulam referre student, quorum in numero sunt Gattererus, Bayerus, Heerenius, Barbierus Bocagius ad Anacharsin Barthelemi, Rennelius alii; nec Mannertus (ps. IV.) ubique huius erroris expers est. Nam ita profecto Herodotea illa imago disiicitur, nec satis hoc modo intelligere, quid sibi velit, possumus. Niebuhrii errores in delineanda Scythia Herodotea infra nobis curae erunt. Idem autem suo iure monet, ne res a diversis et nota et aetate scriptoribus traditas confundamus; quod nos quoque diligenter cavendum nobis propo-

suimus. Itaque hunc facimus quasi totius operis introitum, ut ennarremus, sequentes temporum ordinem, quae singulis scriptoribus antiquitatis de Scythis fuerint cognita. Fore enim, ut ex hoc conspectu ipsi Herodoto aliquid luminis impertiatur, haud ita vana spes fuisse videtur.

Index.



§. 1.

Nomen Scythicum.

Par est, ut primo loco de nomine Scytha mentionem faciamus. Hoc non esse populi proprium, sed ita tantum a Graecis eum appellari ipse Herodotus auctor est; ipsi se Scolotas appellabant. (IV., 6). Quid igitur? num Graeca vocis origo est? Habes verbum Graecum *τὸ σκύτος*, significat pellem, corium; ea vero re Scythae vel maxime utebantur ad tegendum corpus, ad domicilium comparandum, ad mercaturam faciendam. Prope abesse a veri similitudine videtur haec originatio; tamen eo longius fortasse a veritate. Leges quoque verborum derivandorum assensum reprimunt; quî enim *τ* mutatur in *ϑ*, praesertim quum e contrario ille Scytha apud Aristophanem (Eccles.) omnino nullam habeat aspirationis rationem? — Porro Stephanus ait: *ἀπὸ τοῦ σκύζεϑαι· ὀργιλώτατοι γάρ·*

sed eam rem fortasse inde traxit, unde scit Scythas fuisse *Νομαίους* appellatos. Eustathius quidem (comm. ad Dionys. periëg. v. 728) et ipse dicit: *καλεῖϑαι δὲ λέγονται Σκ. ἢ παρὰ τὰσκύτη ἃ περιβέβληνται, ἢ παρὰ τὸ σκύζεϑαι ἤτοι ὀργίζεϑαι.* At viderit hic, ne ipsi Graeci homines Scythis vel proniores in iracundiam fuerint. Nihil quoque efficitur, si scimus Graecos Scythem, Herculis filium, fecisse gentis auctorem, qui fratres Agathyrsum et Gelonum sagittaudi arte vicerit; (Her. IV.), nam hoc plane a Graecis commentum esse testatur ipse Herodotus. Fac vero vocem esse non Graecam, sed Scythicam, ipsis tantum Scythis non usitatam; tum habes Bayerum auctorem [3]), hac fere usum argumentatione: „Constat Scythas optimos fuisse sagittarios. Hodieque Lithuanis Szauti iaculari et iaculatorem significat [4]), a quo est apud Constant. Szyruidum Szaudu, arcu s. sagittis iaculor, et Szaudikie, sagitta s. spiculum. Fennis et Livonibus sagittarius est Skytta et Kytta s. Kyt, sic etiam Curonibus et Estiis et Lapponibus; veteribus denique Prutenis (sec. Praetor. orb. Goth.) Szythi. Inde igitur Graeci vocem petiverunt ad significandum illum populum iaculatione egregium." — Res palam videtur esse, sed non est; et quamvis miremur, Vir Cl., tuam sagacitatem et linguarum scientiam, unam tantum reculam omisisti, nimirum ut demonstrares (id quod cardo rei fuit), quaenam ratio Scythis cum Lapponibus, Fennis, Prutenis

cet. tuis intercesserit [5]). — Scolotarum nomen mansisse videtur et ipsum, quamvis depravatum; Athenis enim servi publici nominabantur et *Σκύθαι*, et *Τοξόται*, et *Τολόται*, quod ex Scolotis fictum apparet. Hos quidem Hammerus [6]) repetit a Persica voce Ssakalib, plur. vocis Ssaklab sive Ssoklob, qua in poëmate „Schah-Nameh" gens Slavica significetur in Turania; hic quoque ab eadem stirpe Sacarum nomen derivat [7]). Equidem de his rebus, ne plus dicam, Academicum ago; minus etiam probatur mihi, quod Reichardus omni opera antiquissimorum illorum nominum vestigia in recentioribus quaerit [8]); possunt talia demonstrare viri scientiam geographiam, sed nihil fere inde efficitur.

§. 2.

Antiquissima Scyth. apud Graecos cognitio.

Quae serioris aetatis scriptores de mythicis temporibus Scytharum commenti sunt infra curabuntur. Hic tamen non possum non Argonauticorum, quae Orpheo falso tribuebantur, mentionem iniicere. Quisquis est huius carminis conditor; Onomacritum non esse dudum eruditi convenerunt. Is Maeotidem paludem coniungit cum Oceano septentrionali et ad eius litus habitare canit Pactos, Arcteos, Lelios crudeles

τοξοφόρους τε Σκύθας, Ἄρεως πιστοὺς θεράποντας.

Omnis Argonautarum apud eum navigatio ostendit, ignotas ipsi fuisse has terrarum plagas, nomen vero Scytharum ut populi borealis ad aures eius permanasse. Itaque cavendum sane est, (id quod Bayerus [9]) monet), ne hunc hominem ignotis rebus vanisque figmentis lectores oblectantem tamquam locupletem de his terris auctorem laudemus, ut fecerunt sane antehac nonnulli. (Et utinam Bayerus semper sibi constitisset in repudiandis poëtarum aliorumque fictionibus). Sed addendum quoque insuper est, ipsam nominis Scythici mentionem vel sufficere ad probandam seriorem scriptoris aetatem, neu propter inscitiam credas eum antiquiorem. Nomen enim Scytharum fortasse Persici belli tempore increbuit; Homero certe omnino non innotuit. Is novit tantum in universum gentes boreales nomadum more vitam degentes, propter iustitiae laudem nobiles, nomine

γλακτοφάγων τ᾽ ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων,

qua de re infra fusius disputabitur. Proprio nomine nec Scytharum, nec Scolotarum ulla fit apud Homerum mentio, et profecto utrumque nomen nondum exstitit; nec, ubi ponas illos Homeri lactivoros boreales, potest diiudicari. Caeterum iam aliquanto supra Homerum potest aliqua Ponti et Maeotidis notitia ad Graecos permanasse, imprimis per Phoenices puto mercatores, ideoque iam Io, quum in cyclum Graecorum mythicum reciperetur, fretum Cimmerium traiecisse ipsique nomen indidisse perhibetur ab Aeschylo (Prom. vinct.)

aliisque fabulatoribus. Praeterea si libet Huellmanni coniecturam [10]) sequi, vel ipse Hercules advena, qui cum Echidna rem habuit, ostendat Phoenicum coloniam in Hylaeam deductam, quae cum indigenis de terra certaverit. Serpentes enim significant ex consueto Graecorum symbolo autochthones, equi vero, quibus Hercules (praeter morem nimirum) advexit, advenas. Neque debet offendere, quod posteriores Herculem fabulabantur reducem ex Erythea terrestri itinere illuc venisse; illa res iam per se est ridicula; quomodo enim in Graeciam rediens Scythiam potuit attingere? De hac quoque fabula pluribus verbis infra disserendum erit; hoc certe allatum velim: non esse veri dissimile, Phoenices iam antiquissimis temporibus in Scythiam (Herodoteam) pervenisse et nonnulla, non sane ea absque fabulis, Graecis hominibus tradidisse.

§. 3.

Anacharsis.

Hic vir sane quam nominandus est propterea, quia eum primum ex Scythia ad Graecos pervenisse fama fert; multa vero de eo in ambiguo sunt. Soloni aequalem eum faciunt [11]), quod si recte se habet, suo iure Plutarchus eum ad septem sapientium convivum advocat. Herodotum si sequeris [12]), paullo inferior aetate erit, scilicet avunculus Idanthyrsi regis, qui cum Dario bellum habuit, et fra-

ter Saulii. Hoc regnante Anacharsis in Graecia peregrinatus est, et quum in urbe Cyzicenorum Matris magnae solemnibus interesset, tantopere religionis Graecanicae amans factus est, ut voveret, se reducem in patriam Graeco ritu operaturum. Id quum fecisset, Saulius rex ea de re certior factus approperavit, fratremque ut proditorem peremit. Aliam quoque famam de peregrinatione Anacharsidis Herodotus a Peloponnesiis accepit, quae quam probabilis sit ipse iudices; tradiderunt vero eum a rege in Graeciam missum esse quasi speculatorem (ὡς μαθητὴς τῆς Ἑλλάδος γένοιτο) [13]), retulisse deinde regi: omnes Graecos exceptis tantum Lacedaemoniis esse nequam ad omnem sapientiam assequendam; cum illis solis posse prudentes sermones misceri. Ea vero res ipsi Herodoto improbata est, quamvis de illa hominis morte constet, neque ulla fiat de patria eius dubitatio. Secundum Scymnum vero Anacharsis advenit ex pia et religiosa Limnaeorum gente (σφόδρ' ἐυσεβεστάτων) [14]), qui ad paludem Maeotidem incolebant, Scythico more equino lacte victum quaerebant neque ullum animal mactare sustinebant (ὡς οὐδὲν ἐμφύχων ἀδικῆσαι), praeterea omnes res habebant communes (κοίνὴν ἅπαντων τήν τε ὅλην ὀυσίαν). Sed manifestum est Limnaeorum nomen esse appellativum sive collectivum, itaque ille periëgeta Sauromatas, Gelonos et Agathyrsos dicit singulas Limnaeorum gentes, Scythas sane non inter has nominat. Neque omnino Anacharsidis temporibus

nomen Scytharum apud Graecos invaluisse suspicer, eumque Scytham appellatum esse ex ratione aetatis insequentis, qua Scytharum nomen iam illis populis indi solitum fuit. Nec tribus verbis amplius videtur opus esse, ut dicam illas literas, quas ferebant ab Anacharside ad Hannonem quendam datas, serioris multo temporis esse figmentum. Hic enim Hanno videtur iste homo Carthaginiensis, tumidus admodum et ventri deditus, de quo Aelianus pluribus disserit; et apparet auctoris consilium, scilicet ut Punicae luxuriae et superbiae opponeret gentis nomadicae cultum simplicissimum [15]).

§. 4.

Aristeas Proconnesius.

Fuisse re vera aliquem Aristeam poëtam, non potest infitias iri, quum tam pervulgata videatur de eo fama fuisse apud Graecos. Erat autem, quandoque fuit, homo et fatis et ingenio maximo opere admirabilis, nec, quod carmina eius temporis invidiam non tulerunt, satis videtur posse fieri [16]). Non potest tantum fuisse fabulator ineptus (*ἀνὴρ γόης*), quaemadmodum sententiam dicit Strabo [17]); sed homo ingeniosissimus, qui sane historias non scripsit, sed poëmata, (Arimaspeorum tres libros) ideoque non tam veritatis, quam oblectationis studiosum se praestitit. Is pro sua aetate permulta videtur de regionibus Euxino et Maeotidi ad se-

ptentrionem finitimis vel autopsia, vel fama certe habuisse comperta, multa vero etiam ingenio excogitasse. De aetate eius non liquet; antiquiorem eum fuisse inde probatur, quod non tantum cum Pythagora eum coniunxerunt [18]), sed secundum Strabonem [19]) etiam Homeri magistrum fecerunt. Perhibetur vero mortuus esse et rursus revixisse, tum *φοιβόλαμπτος* fuisse et corvi specie assumta cum Apolline Metaponti civibus apparuisse, ubi postea quoque utriusque fuit statua. Equidem, quamvis audacter coniecta sint illa Ritteri (vestibul. hist. gent. Europ. p. 272 sqq.), tamen non possum in universum retinere assensum. Ait autem illis fabulis significari Buddhae incarnationes, quem olim cum Matre Deorum (Mahamai) in terris ad Pontum sitis cultum esse multis probare studet testimoniis et indiciis. Item sub persona Aristeae etiam cultum solis, qui fuit apud Magos [20]), significari; huc referendum esse epitheton *φοιβόλαμπτος*, huc statuas eius et Apollinis Metaponti exstructas, huc denique figuram corvi (*κόραξ* a *κόρ*), quod sit proprie symbolum solis cultorum apud Magos habitum. Arimaspos Ritterus coniungit cum Maspiis, qui fuerunt inter gentes Persarum antiquas, et eorum ait pugnas cum gryphis (animali symbolico in theologia Persarum) indicare bellum Ormuzdii cum Ahrimane, vel Iraniae cum Turania.

Nescio quid habet haec coniectura veri simile, quamquam non dubito, quin sint multi, quibus ea

improbetur. Hoc certe constare videtur, fuisse aliquem poëtam Aristeam Herodoto longe antiquiorem, qui de terra huius Scythica eiusque viciniis borealibus multa, nec sine ulla veritate omnia, Graecis prodiderit.

§. 5.

Hecataeus.

Scylacis inferiorem esse aetatem, neque aequalem Darii eum fuisse iam inter eruditos constat, itaque de hoc infra erit sermo. Primus logographorum, qui de Scythis prodidit, Hecateus esse videtur, certe primus (quantum sciri potest) Scytharum nomine usus est. Novit autem Scythas tum in Asia, tum in Europa. Illic Myrgetas appellat gentem Scythicam, quos soli Hecataeo notos novissimus editor Klausenius ideo eosdem esse putat qui sunt Straboni [21]) Tyrrhegetae, Ptolemaeo Tyrangetae et Plinio Tyragetae ad Istrum incolentes. Equidem hoc tres populos concedam esse eosdem, tamen Myrgetae possunt esse gens tantum antiquitus cognata. Certe Getarum nomen pluribus etiam compositionibus indicatur, quemadmodum Matyketae apud eundem Hecataeum (Matygetae Stephano dicti), et *Κερκέται* Scylacis [22]); tum Thyssagetae Herodoti et Massagetae, quos hic quidem non Scythicae gentis esse contendit. — Quemadmodum Herodotus Scythicis gentibus nimis arctos claudit fines (v. infra §. 7), ita Heca-

taeus earum nomine abusus esse videtur. Is enim non Jamas tantum sive Jamos (Jamaxatas Ptolemaei ?) [23]) ad Scythas refert neque Issedones tantum [24]), qui secundum Herodotum (Aristeam potius) longe ab his remoti sunt, ἔθνος Σκυθικὸν nominat [25]); immo ad Indum etiam Scythas novit. Caspapyrus (Herodoto Caspatyrus) illi est auctore Stephano πόλις Γανδαρικὴ, Σκυθῶν ἀκτή [26]). Gandarii igitur illic ad ostia Indi in Pactyïca sunt; idem Hecataeus ad occidentales Caucasi radices in Sindica (Indica) ponit Dandarios; quod quidem et ipsum facere videtur ad probandam Ritteri coniecturam de antiqua connexione Indiam inter et paludem Maeotidem, neque igitur omnino Indoscythae Ptolemaei sunt aegri insomnia. Caeterum Hecataeus quoque, ut Herodotus aliique, multum peregrinatus erat, neque ita pravam videtur habuisse Euxini et Maeotidis cognitionem, id quod etiam Apollonii scholiastes significare videtur [27]). In Scythia Europaea Hecataeus nominat urbem Cardesum, et gentes Isepos et Edos [28]); fortasse multo plura de illa disseruit, quae aetatem non tulerunt; Melanchlaenos quoque ἔθνος Σκυθικὸν appellavit secundum Stephanum [29]) et Carcinitin urbem Scythicam secundum eundem, cui rei assentitur Herodotus.

§. 6.

Aeschylus et Pindarus poëtae.

Horum tempore Graeci iam complura habuerunt de Scythis comperta; hi duo aequales dubitari possit an non ante Hecataeum nomine Scytharum usi fuerint. Tamen quum poëtae essent, non licuit nimirum de finibus aliisque Scythiae rebus geographorum more loqui, sed vitae tantum instituta apud Scythas degendique rationem attigerunt. Aeschylus in Prometheo omnem fabulam una cum Caucaso facit in Scythia versari, quod eius aetati facile potest indulgeri; anachronismus vero per poëtarum licentiam excusandus est. Cautius sane Herodotus omnem temporum inversionem evitaturus de Hercule ait, venisse eum *ἐς τὴν νῦν καλεομένην Σκυθίην* [30]). Haud ita acute poëtam de illa regione agere, vel ipse ostendit; dicit enim v. 417:

— *καὶ Σκύθης ὅμιλος,*
οἳ γᾶς ἔσχατον πόρον ἀμφὶ
Μαιῶτιν ἔχουσι λίμναν.

Idem de vivendi ratione apud eos ita v. 708:

— *οἳ πλεκτὰς στέγας*
πεδάρσιοι ναίουσ᾽ ἐπ᾽ εὐκύκλοις ὄχοις,
ἑκηβόλοις τόξοισιν ἐξηρτημένοι.

Sane iaculandi ars egregia, vitaeque ratio Graecis inaudita maxime digna fuerunt, quae a poëta notarentur. Ita Pindarus quoque noverat *Νομα-*

δας Σκύθας, noverat ἁμαξοφόρητον οἶκον eorum [31]), noverat etiam morem iam Graecis detestabilem, carnis equinae scilicet comedendae [23]).

Ἄνδρες τινὲς ἀκκιζόμενοι Σκύθαι
νεκρὸν ἵππον στυγέοισιν λόγῳ κτάμενον ἐν φάει·
κρύφα δὲ σκολιοὺς γέννσιν ἀνδέροισιν πόδας
ἠδὲ κεφαλάς.

Inde etiam in proverbium abiit secundum scholiastem: Σκύθης τὸν ἵππον, ἐπὶ τῶν κρύφα τινὸς ἐφιεμένων, φανερῶς δ᾽ ἀπωθουμένων καὶ διαπτυόντων αὐτό.

Apparet utrumque iam pleniorem aliquanto habuisse Scytharum cognitionem, quod minime mirum erit, si meminerimus, illam iam fuisse apud Graecos coloniarum aetatem, eosque, quum tempore pugnae ad Salaminem commissae non ultra Delum navigare ausi essent, mox maiore itinere maria tentasse.

§. 7.

Herodotus.

Is longe plurima in Melpomene de Scythis tradidit. Ipse multum peregrinatus est; Scythiam eum adiisse non potest esse dubium; colloquium vero illud cum Timne, Ariapithis villico [33]), videtur Olbiae vel in Exampaeo habuisse neque ultra haec loca progressus esse. Quae enim de terra orientem versus a Borysthene pertinente tradit,

plane sunt eiusmodi, ut non ipsum eam suis oculis vidisse suspiceris. Imo ipse fatetur neminem fuisse, qui terrae ambitum indicare posset; *ἀλλ' ὅσον μὲν ἡμεῖς ἀτρεκέως ἐπὶ μακρότατον οἷοί τ' ἐγενόμεθα ἀκοῇ ἐξικέσθαι, πᾶν εἰρήσεται* [34]). De acroamate illo, quod Herodotus Corinthi et Olympiae historiis suis instituerit, falso Lucianum tradidisse, Dahlmanni quaestionibus luce clarius redditum est, et idem probat libros eius editos esse fere eodem tempore, quo Thucydides scripsit, h. e. circa annum a. Chr. 410. Inde apparet, nullo modo Herodotum fuisse primum, qui de Scythis tradiderit; Hecataei quaestiones fere quinquaginta annis sunt antiquiores. Herodotus praeterquam quod ex visis atque auditis multa conscripsit: non pauca etiam ex Hecataeo sumsit; quae quam multa fuerint, hodie non licet aestimare. Gloriae autem Musarum Herodotearum multum officit, quod Porphyrius affert de libro IIdo his verbis: *πολλὰ κατὰ λέξιν μετήνεγκεν ἐκ τῆς περιηγήσεως, βραχέα παραποιήσας* [35]). Porro Herodotus Hecataeum saepe tanto cum studio et ira refellere studet, ut videatur hunc eodem fere modo tractasse, quo ipse postea (quasi ad Nemesin exercendam) a Diodoro tractatus est, qui multa ex eo transscripsit, ingrato vero animo et data opera in compluribus rebus vel clam vel palam eum carpere gestit. Herodotus huis pruritus non videtur expers fuisse; ita tacite quidem, vehementer tamen Hecataeum infamat de sede Geryonis, de incremento Nili, de

Oceano (IV., 8: *λόγῳ μὲν λέγουσι, — ἔργῳ δὲ οὐκ ἀποδεικνῦσι*). Ita etiam in rebus Scythicis non potest negari, Herodotum complura novasse vel temere, modo ut Hecataeo se opponeret. Hic nomen Scytharum latius usurpat, habet Scythas tum in Asia, tum in Europa, nusquam videtur locutus esse de propria quadam Scythia certis finibus arcta. Imo Herodoti aequalis Thucydides in utraque terrarum parte Scythas novit eosque dicit numero omnibus gentibus longe praestantes [36]). Herodotus vero omnem Scythiam dicit esse quadrangularem, sitam inter Istrum et paludem Maeotidem. Hecataeus Melanchlaenos aliosque appellaverat gentes Scythicas; cui Herodotus paene ridiculo modo contradicens de Agathyrsis clamat: *ἔθνος ἐὸν ἴδιον καὶ οὐδαμῶς Σκυθικὸν*, (IV., 18), de Melanchlaenis item: *ἄλλο ἔθνος καὶ οὐ Σκυθικόν* etc. (ib. 20). Idem tamen (105, 106) Neuros et Melanchlaenos tradit more Scytharum vivere, nec quo differant ab illis, afferre curavit; ita ut temere illud discrimen statutum videatur esse. Aliter fortasse se res de Massagetis habet, quos Diodorus [37]) aliique prorsus Scythas appellant, Herodotus vero acute distinguit: *ὃ γὰρ Σκύθας φασὶ Ἕλληνες ποιέειν* (feminarum communionem dicit), *οὐ Σκύθαι εἰσὶ οἱ ποιέοντες, ἀλλὰ Μασσαγέται* [38]). Hos quoque Scythicis moribus ac vestitu uti confirmat, nonnullis rebus ab illis abhorrere; tamen quaenam Massagetis cum Sacis ratio intercesserit, dicere supersedit. Certe fue-

runt Sacarum vicini et secundum ipsum habebant similem armaturam [39]); fortasse non potuerunt iure distingui. Quid porro de Sacis Herodotus? *τούτους δὲ ἐόντας Σκύθας Ἀμυργίους, Σάκας ἐκάλεον· οἱ γὰρ Πέρσαι πάντας τοὺς Σκύθας καλέουσι Σάκας.* Viden quantopere lapsus sis Herodote? quinam sunt omnes Scythae? et quid tibi vis, si *Σκύθας ἀποστάντας* nominas extra tuam Scythiam? Scythae sunt ab Istro usque ad imperii Persici fines; quomodo sine notatione discriminis distinguere ab eis alias gentes poteris? Quamvis sint hi Scythae multis gentibus interpositis mixti, tamen non debebas de propria quadam Scythia verba facere, si habes etiam Scythas in Asia. Et praeterea, nonne in ipsa tua Scythia multi habitant quorum non est Scythica origo? Labat tua narratio, et studium quidem illi impertiendum erit, fides sine quaestione et haesitatione non erit.

§. 8.

Herodoti aequales.

Hi fere sunt Thucydides et Hippocrates. Et ille quidem uno tantummodo loco de Scythis in transgressu scribit quae supra iam attulimus, scilicet eos superare omnes terrarum gentes multitudine. Addit etiam de indole populi eximium testimonium: *οὐ μὴν οὐδ᾽ ἐς ἄλλην εὐβουλίαν καὶ ξύνεσιν περὶ τῶν παρόντων ἐς τὸν βίον ἄλλοις*

ὁμοιοῦνται. Ita magnitudinem gentis etiam Xenophon praedicat unico loco, negat tamen Scythas posse aliam gentem subigere, continere se enim suis finibus, imo a Thracibus et Illyriis coërceri, qui rursus a Scythis observentur, ita ut quasi librata populoram potentia caeteri quoque otio perfruantur et pace [40].

Hippocrates haud spernendas habuisse videtur de Scythis cognitiones. Describit omnem gentem facie et corporis statura inter se admodum similem [41]; esse Scythas colore faciei rubro, corpore propter securam et ignavam vitae rationem, etiam propter victum modo ex pecoribus quaesitum, pingui et carnoso. Quae res quum esset in belligerando maximum fortitudinis impedimentum, plerique brachia, armos et lumbos ferro ardente adurebant, ad repellendam nimiam artuum languiditatem et humorem. Praeterea Hippocrates de plaustris loquitur, in quibus feminae cum liberis et impedimentis vehebantur. Minima habebant quattuor rotas, maiora vero sex; ita etiam a quattuor alia, alia a sex bobus trahebantur.

§. 9.

Scylax.

Is in periplo haec de Scythis habet [42]: „Ultra Thraciam est populus Scytharum, quorum in

terra sunt oppida Graeca Tyres (Tyritae), Niconion, Ophiusa; tum Tauri in promontorio, in quibus sunt urbes Graecae Chersonesus et Criumetopon. Deinde rursus Scythae incolunt; oppida Theodosia, Cytaea et Nymphaea, Panticapaeum, Myrmecēum. Ab Istro itinere recto ad Criumetopon sunt tres dies totidemque noctes, praeternaviganti; vero ad litus duplex fit via," (ita ut iam appareat Tauricae magnitudo melius quam apud Herodotum). „A Panticapaeo ad ostium Maeotidis XXstadia; haec dimidiam fere habet Ponti magnitudinem." (apud Herod. paene eandem). „Sinistrum paludis latus Syrmatae incolunt;" tamen idem Scylax in Asia Sauromatas primos nominat ad Tanaim orientem versus. Melanchlaenos et tum Gelonos ponit ad litus Ponti orientale prope Colchos [43]), quod mirum in modum a caeteris scriptoribus abhorret; num revera sedem mutaverint, non potest diiudicari. Certe apparet Scylacem de nonnullis rebus melius, quam Herodotum, compertum habuisse, quod huius incuriae non potest imputari. Urbes quoque illas pater historiae nondum novit [44]), quod est unum testimoniorum, quibus efficitur seriorem esse Scylacis aetatem [45]). Bayerus sane adhuc ex vetere errore eum Darii aequalem facit assentiente Ste. Croix aliisque; Bougainvillius vero, Niebuhrius et Klausenius quibusdam non incertis argumentis inducti opus illud c. Olymp. 107, a C. 350 conditum (vel fortasse excerptum) esse contendunt. Caeterum

Niconium et Ophiusam Strabo novit, illud in dextra, hoc in sinistra Tyrae ripa ponit [46]); Herodoti tempore si iam fuissent, non potuisset non de eis referre.

§. 10.

Diodorus.

A Scylace magna ad hunc usque lacuna, magnusque historicorum numerus vetustate absorptus est, quorum in locum unus Diodorus est subrogandus. Is multos videtur Scythicae historiae fontes aperuisse, quos Herodotum non adiisse (fortasse quia concessum non erat) videmus. De primis populi fabulis aliquantum ab illo dissentit, nec tamen ita, ut illum temere retulisse arguat; nonnulla affert, quae Herodotus plane non habet: Ita etiam de posteriore historia nonnulla et primus et solus refert, estque ea de causa magni aestimandus. In rebus autem geographicis prorsus nullus est, nec Scythicae quae sint gentes quaeve non Scythicae, distinguere curat. Licet suspicari, iam eius temporibus Scythas Europaeos ad Pontum aut evanuisse omnino, aut certe debiliores factos ad septentrionem magis et orientem recessisse. (cf. §. 13).

§. 11.

Strabo.

Huic valde vituperanda videbatur antiquiorum inscitia, qui omnes ad boream incolentes

populos Scythas, ad occidentem Celtos appellavissent et praeterea Celtoscythas quoque in geographiam introduxissent [47]). Fit vero illud pro re nata; quum enim illae regiones Graecis parum essent notae, aut omnino de eis tacendum fuit, aut nomine Scytharum et Celtorum utendum ad eas significandas. Neque ipse Strabo, quomodo se res habeat, satis acute declarat. Potissima ipsius disputationis pars est de Scythis supra Bactrianam, Sogdianam et Paropamisum incolentibus, quos usque ad oceanum orientalem pertinentes Scythas orientales vocat [48]), etiam in extrema boreae eos removet [49]). In Europa proprie non videtur Scythas habere [50]), Sarmatas vero inter eos recenset, nec Tauros ab eis seiungit, et complura de ipsis Scythis refert, quae Herodotus diserte dicit accolarum esse [51]). Tauricae vero Chersonesi formam novit vel omnino veram, vel veritati proximam. Egregium quoque exstat Strabonis testimonium de moribus populi, quales sua aetate fuerint; dicit enim eos adhuc haberi simplicissimos minimeque fraudulentos, tum Graecis multo frugaliores ac paucioribus longe rebus contentos [52]). Quod vero idem ait Scythas Graecorum contagione corruptos, ac piratas, homicidas et hospitum interfectores factos esse, in hoc Tauros (contra Herod.) videtur cum illis confudisse. Agricolas Scythis subiectos et tributarios habet (*γεωργοὺς*; non sunt alii atque Herodoti *γ.*); hos politiores esse dicit, lucro tamen

deditos mare latrociniis infestare neque aliis fraudis et iniuriae generibus abstinere [53]). Eos quoque a Scythis seiungere neglexit, si hos piratas vocat. Male Ephorum hic illic erroris postulat; qui sane, quum nonnulla ipsi viderentur inter se diversa, alia aliis Scytharum partibus impertiebat. Itaque Scythis et Sarmatis dicit nullum fere esse vitae institutum (*τοὺς βίους ἀνομοίους*) [54]); nonnullos esse tam feros, ut vel humana carne vescantur, alios rursus etiam animalibus abstinere, ut sint tantum lactivori Homerici. Strabo vero crudelitatem ait esse gentibus borealibus communem, ut Thracibus, Celtis, Scythis. De his clamat illum morem carnis humanae edendae, quum Herodotus (sane praeter Tauros hospitum interfectores) nullam dicat illarum gentium tam feram ac barbaram, exceptis Androphagis septentrionalibus Scytharum finitimis, qui nomen inde traxerint; Scythas vero inter omnes Ponti accolas excellere sapientia et comitate, quam rem ipse expertus esse videtur.

In geographicis Strabo prioribus praestat, primusque, quantum scio, Tauricae formam veram et Isthmum etiam peninsulae novit [55]).

§. 12.

Mela.

Mela nonnullarum rerum solus auctor est; ita Scythas dicit caeteris hominibus diutius vivere, quod fortasse ex Homerico illo epitheto *ἄβιοι* (i.

e. μακρόβιοι) fluxit. Pleraque vero ex Herodoto aliisque antiquioribus interdum non satis fideliter excerpsit, et in plurimis rebus nomenclatorem tantum se praebet. Scythas habet in extremo Asiae oriente, una cum Seribus et Indis (I., 2), etiam ad sinum Caspium (qui est pars oceani septentrionalis). De his vero terris per tres tantùm interpretes comperit; ipse scilicet a Cornelio Nepote accepit, quae is a Q. Metello Celere audiverat, qui rursus Indos suos interrogarat. De Scythia Europaea Herodotum sequitur eiusque fabulas de pinnis cadentibus, de gryphis etc. repetit; quae vero ille de Scytharum moribus dixit, Mela inter omnes illas gentes distribuit, Riphaeos iam nominat Herodoto ignotos, Sauromatas vero (quod mirum) Hamaxobios dicit ponitque ad Bugen (Hypanim) prope Agathyrsos; addit Satarchas et Axiacas. Deinde iam duo habet Tauricae promontoria: alterum Criumetopon, Carambico oppositum alterum Parthenium; inter utrumque est *Καλὸς Λιμὴν* (II, 1). Gerrhum, Panticapen, Hypacyrin fluvios, habet ex Herodoto receptos; etiam *δρόμον Ἀχιλλέως*, cuius nomen fortasse ex ipsius visis, aut certe alios secutus explicare studet. Hebescere vero Scytharum notitiam iamiam apparet. Jam Polybio sunt quasi terriculum septentrionale, et dicit *Σκυθῶν ἔργα καὶ Γαλατῶν* quasi proverbium [56]); idem etiam Darii expeditionem attingit [57]) habetque Scythas Nomades Bactrianae imminentes [58]).

§. 13.

Plinius.

Plinius iam diserte ita loquitur [59]): „Scytharum nomen usquequaque transiit in Sarmatas atque Germanos; nec aliis prisca illa duravit appellatio, quam qui extremi harum gentium ignoti prope caeteris mortalibus degunt." Est hoc admodum obscure dictum, potestque etiam adminiculum praebere eis, qui Germanos facere student eosdem ac Scythas; tamen mihi quidem locus ille haud ita magni aestimandus videtur. Sensus est: Antehac omnes gentes illis regionibus habitantes, ubi nunc Sarmatae et Germani incolunt, Scythae nomine communi appellabantur; nunc vero hoc nomen in terris propioribus evanuit et usurpatur tantum de terris remotissimis ad boream et ignotissimis. Ita etiam intelligendus est alius Plinii locus, ubi plane inscite et negligenter se gerit [60]): „Septentrionalis Oceanus maiore ex parte navigatus est auspiciis Divi Augusti, Germaniam classe circumvecta ad Cimbrorum promontorium, et inde immenso mari prospecto aut fama cognito ad Scythicam plagam et humore nimio rigentia." Idem Scythas dicit latus Germaniae orientale attingere [61]), ad austrum vero provincias regni Persici [62]); ad orientem haud certo eos definire potest [63]). Succinum quoque ad oceanum borealem inveniri scribit, (ita ut Sueciam insulam tantum intelligat), scilicet ad Baltiam insulam ab ipso Plinio memo-

ratam [64]). Simili modo Diodorus tradit succinum esse in insula Basilea, quae iaceat e regione Scythiae. Plinius saepe etiam Scythicum dicit omnino boreale aliquid, interdum Aethiopico oppositum [65]); numerus quoque gentium Scythicarum crevit apud eum [66]). Sarmatae et Scythae nunc miscentur, nunc distinguuntur [67]); veri caeterum non est dissimile, quod Niebuhrius [68]) profert, Sarmatas ab oriente paullatim ad Borysthenem, ad Hypanim (Mela), ad Istrum processisse. Omnem quoque Europaeam Scythiam Plinius non magnopere curat, e. g. quum rationem illam Tauros inter et Scythas non intelligeret, miro artificio in hac re usus est; scilicet utrosque distinxit, simul vero coniunxit per Tauro-Scythas vel Scytho-Tauros in montibus peninsulae habitantes.

§. 6.

Poëtae.

Omnes omnium poëtarum de Scythis fabulationes enarrare longum est; nonnulla tantum ex poëtis aureae aetatis afferam, ut appareat iam abuti eos maxime Scytharum nomine. Plerumque significat septentrionem, quemadmodum Ovidius etiam coniungit

— Scythiam septemque trionem. (Metam. I., 64). Ita Virgilius ait (Ge. I. 200):

Mundus ut ad Scythiam Riphaeasque arduus arcis
Consurgit, premitur Libyae devexus in austros.

Et maxime propter frigus Scythia horribilis describitur. Ita Ovidius Met. II., 224: Nec prosunt Scythiae sua frigora; ita: gelidus Scythes, apud Horat. Od. IV., 5, 25. Adde Ovid. Pont. I., 3, 27. Imo quasi terminus mundi est Scythia Virgilio (Ecl. I. 66) et Ovidio (Met. VIII., 788): Extremis Scythiae glacialis in oris. Ibi vero non est prorsus septentrio, sed Caucasus, ubi Pallor, Tremor et Fames sedem habent; ita Medea quoque secundum poëtam (Metam. VII., 407) venit Scythicis ab oris, et Triptolemus

— Scythicas advertitur oras,
Rex ubi Lyncus erat. (ibid. V. 649).

Horatius Gelonorum quoque nomen in universum dicit (Od. II. 9, 22), imo fortasse Scythas cum Parthis confundit, ubi loquitur de profugis Scythis (Od. I. 35, IV. 14), et multa id genus alia.

§. 15.

Seriores scriptores.

Qui sequuntur tum Graecorum, tum Latinorum scriptores, novi nihil afferunt, et aut antiquioribus nituntur, aut nomine Scytharum abutuntur. Illorum in numero est A r r i a n u s; secundum hunc veniunt ad Alexandrum Magnum legati *Σκυθῶν τῶν Ἀβίων καλουμένων* (in Asia scilicet), quos etiam Homerus a iustitia laudaverit; et Scytharum Europaeorum, maximi inter Europaeos populi.

(Thucyd.) Alexander mittit qui horum terram et vires speculentur, et illic ad Tanaïm Alexandriam quandam condendi consilium capit, de quo multis Arrianus disputat [69]). Quod porro Ptolemaeus de Scythis habet, nihili est; si enim distinguit Scythiam intra et extra Imaum, ne tantillum quidem inde efficitur; nisi quod iam priores dicebant, longe lateque pertinere nomen Scythicum. — Tum plane in antiquitate persistunt posteriores literati, quales sunt Stephanus Byzantius, Eustathius, alii, et media aetate Scythae revera videntur iamdudum evanuisse. Nonnulli tamen eorum mentionem faciunt ut ad extremum septentrionem habitantium. Ita Adamus Bremensis his verbis utitur [70]): „Deinde latissima Polanorum terra diffunditur etc.;“ tum ad septentrionem maris Baltici recenset Nordmannos (Norvagos) et Sconiam, et „supra eam Gothiam; postea longis terrarum spatiis regnant Sueones usque ad terram feminarum, supra eos Wilzi, Myrri, Lami, Scuti (Scythae) et Turci habitare feruntur usque ad Ruzziam, in qua denuo finem habet ille sinus Balticus.“ Tum sexaginta fere annis post Eggehardus ad annum 994 (p. 356 Eccard.) scribit de Goltrino: „Ad terram arctoam, i. e. septentrionalem plagam venit —; hac mundi parte Scitae (Scythae) incertis sedibus vagantur; genus hominum ferum, moribus belluinum, qui sua habitacula de pellibus aut pilis animalium secum vehunt, crudis ferarum carnibus et equino lacte

pascuntur." Tum alio loco: „Hi a Sithia (Scythia puta) inferiori egressi, Normanni lingua barbara quasi homines septentrionales, dicti sunt." —

Esse aliquam Scytharum cum Slavicis gentibus cohaerentiam, non potest uno verbo profligari; imo ne multis quidem poterit ad fidem historicam adduci; et temere certe videtur fieri, si quis plane idem esse Scythas ac Slavos praeiudicat; id quod nuper etiam insulsius fecit vir non indoctus. Magis etiam vereor, ne non possint rem ad veri similitatem perducere, qui de Germanorum origine Scythica cogitarunt [72]).

Certe concedi oportet, historiam Scythicam per se esse tractandam, neque ex coniunctione cum populis serioribus multum posse compendii fieri. Illud vero si aggredimur, optimum erit Herodoti libros subiicere et quae alii scriptores afferunt, cum eis comparare, praesertim quum paene omnia ab aliis tradita iam enumeraverimus. Herodoto non prorsus esse fidem habendam, supra ostendisse mihi videor; tamen in hanc Ritteri sententiam pedibus eo: vel minimam rem ab illo traditam posse maximi esse momenti. Quae ante omnia disputationis accuratioris egere visa sunt, in unum locum infra colligam; quae sine multa haesitatione possint credi, iam praemittam.

§. 16.

Scythiae Herodoteae fines et vicina.

Herodotus in describendo Scythiae situ initium facit ab emporio Borystheneïtarum, quod situm narrat ad ostia Borysthenis in medio latere terrae meridionali. Prope hoc emporium habitant Callipidae; hos esse Carpidas Ephori contendunt Bayerus et Niebuhrius; imo fortasse coniungendi sunt cum Callatis Scylacis ad Istrum (68 p. 29) et cum Callatianis Diodori (XIX., 73), quibuscum Lysimachus bella habuit. Callipidae sunt *Ἕλληνες Σκύθαι,* supra eos Alazōnes s. Alizōnes; utrique non modo nomades sunt, sed praeterea caepe etiam, allio, lente et milio vescuntur. His ad septentrionem vicini sunt *Σκύθαι ἀροτῆρες*, qui frumentum serunt, non quidem ad suum usum, sed ad commercium cum Graecis faciendum [73]. Hos fuisse proprie Cimmerios relictos et subiectos, qui tributo dato terram colebant, infra probare studebo; tributum vero nimirum non fuit pecunia, cuius nullus usus fuit apud Scythas, sed frumentum, quod ab his ne ipsum quidem edebatur, tamen ad permutationem cum Graecis faciendam inservire potuit. — Supra deinde ad boream extra Scythiam iam sunt Neuri, quorum vicinia septentrionalis propter frigus et sterilitatem est inhabitabilis. Verum a Borysthene occidentem versus ad

Hypanim etiam Graeci incolunt, qui Scythas ad orientem propinquos Borystheneïtas appellant, ab his ipsi Olbiopolitae dicti. (Olbiae nomen apud Herodotum non legitur; fuit autem urbs Graeca Scythis, ut videtur, tributaria; Antonini Pii adhuc aetate floruit, qui illi adversus Tauroscythas auxilium tulit [74]). In numis huius urbis est arcus, sagitta, pharetra vel etiam securis; in aliis Demeter aut arista; nuper qui reperti sunt, habent Matris Deorum caput cum corona sua murali). Borystheneïtae ab Hylaea praeter amnem sunt undecim dierum iter, ad orientem Panticape amne finiuntur trium dierum iter pertinentes. Hic ad boream vicini sunt Androphagi, non Scythica gens; ultra eos nemo habitat, sed est *ἔρημον ἀληθέως* [75]). Borystheneïtas, qui sunt Scythae agricolae (*γεωργοί*) Panticapes a Sc. nomadibus seiungit, hos a Sc. regiis Gerrhus fluvius. Regiorum terra ad meridiem Tauricae est contigua; orientem versus pertinet ad fossam ex Tauricis montibus in Maeotidem influentem emporiumque Cre nnōs, a Graecis habitatum (*οἱ δὲ Κρημνοί ἐισι τῆς γῆς τῶν Σκυθῶν τῶν ἐλευθέρων* Herod. IV., 110). Septentrionem versus sunt Melanchlaenorum fines, gentis non Scythicae; his quod est ad boream situm, paludibus abundat neque ab hominibus colitur. Orientales igitur Scythiae fines se extendunt praeter Cremnos et Fossam illam usque ad extremum recessum Maeotidis, ubi Tanais influit, quare *οἱ ἐντὸς τάφρου Σκύθαι* (IV. 28) sunt ea pars regiorum,

quae est Tauris proxima. Tanais vero est omnium Scytharum finis eosque a Sarmatis vel Sauromatis dividit; terminum quoque hunc esse Europam inter et Asiam, veteres consentiunt [76]). Sauromatarum terra incipit trium dierum iter ab angulo Maeotidis, totidem a Tanaï [77]), quindecim dierum iter se porrigit (68 mill. Germ.), arboribus tam feris, quam mansuetis vacua. Originem gentis a Scythis repetunt, qui Amazones olim ex Asia appulsas compresserunt et cum eis Tanaïm deinde superarunt. Feminae gentis fuere viris fortitudine pares (nequaquam vero Scytharum feminae), lingua ex Scythica corrupta [78]). — Deinde terra omni arborum genere abundans; in ea Budini [79]), gens magna, oculis caeruleis, capillis rufis, quae nomadum more vivit, etiam *φθειροτραγέει* [80]). Super hos ad boream est desertum septem dierum iter longum (32 mill. Germ.), ultra quod Thyssegetae incolunt, gens singularis et magna, ex venatione victum quaerens. Simili modo et simili in terra deinde Jyrcae habitant, ultraque eos Scytharum caterva, quae est Herodoto *Σκύθαι ἀποστάντες*. Usque ad hos terra est plana et fertilis (*πεδιὰς καὶ βαθύγεως*); tum lapidosa et aspera fieri incipit et paullatim ad montes altissimos consurgit, quorum in infimis radicibus habitant Argippaei sive Orgiempaei [81]), gens a natu calva, naso simo, ingenti mento, propria quadam lingua utens, vestibus Scythicis; armorum expers, victum ex arboribus quaerens [82]), perpetua pace fruens, neque ab ullo lacessita pro-

pter sanctitatem. Hos Ritterus fuisse Buddhae cultores coniicit, et caput ex illorum more rasisse ideoque calvos appellatos esse; illuc refert sanctitatem, abstinentiam carnis aliaque [83]). Gatterevus propter formae descriptionem Calmuccorum maiores eos fuisse contendit, nomenque Orgiempaeorum repetit a voce Urga, quae Calmuccis arborem significat [84]). Ultra hos Herodotus nihil a Scythis comperire potuit, qui fortasse (ut Phoenices) commercii lucrique causa rem occultabant nec non de pinnis, gryphis aliisque id genus monstris narrabant. Argippaei narrationem exhibuerunt Herodoto incredibilem, in montibus esse homines capripedes, et qui ultra eos habitarent, sex menses continuos unoquoque anno dormire. Ad dexteram Argippaeis habitant Issedones, quorum mares et feminae sunt *ἰσοκρατέες*, quique patres senectute confectos devorant, crania ad potandum inaurant. His ad orientem sunt secundum ipsorum et Scytharum fabulas Arimaspae, uno tantum oculo praediti [85]), et gryphes aurum custodientes [86]).

Ad boream Scythiae habitant ex ordine ab occidente IV. populi, Agathyrsi, Neuri, Androphagi et Melanchlaeni; fines vero Herodotus non potest accurate describere, propterea quod vel deserta interiaceant. Quod supra eos omnia casu pinnarum perpetuo intercludi Scythae Graecis narrabant, eam quidem rem Herodotus facile per nivem cadentem explicat; inde fortasse nix Scythica

in proverbium abiit [88]). Ita ne de Hyperboreïs quidem a Scythis vel Issedonibus aliquid audiri poterat, quapropter omnino eos fictos esse Herotus suspicatur: Riphaeos H. non novit, primus eos habet Hippocrates, tum Justinus et geographi [89]).

Ad occidentem Scythas a Thracibus (Getis nomine peculiari IV, 118) Ister dividit. Is quum orientem versus cursum direxit usque ad Agathyrsos, deinde ἐς τὰ πλάγια τῆς Σκυθίης ἐμβάλλει [90]). Male hoc Schweighaeuserus vertit: „Scythiam a latere alluit;“ imo obliquo cursu in ipsam Scythiam irruit. Hoc autem fit paullo post quam Marim recepit in agro Agathyrsorum (hodie March), et paene omnino ad nostras tabulas quadrat. Niebuhrium quidem tum alia Herodoti verba, tum haec contorsisse nodumque in scirpo (ut aiunt) quaesivisse, spero fore ut infra possim demonstrare [91]). Ister vero in Pontum exoneratur, ubi arcum illum litoris septentrionalis a Thracia inceptum Scythia persequitur, id quod Herodotus ait: τῆς Σκυθικῆς γῆς ἡ Θρηΐκη τὸ ἐς θάλασσαν πρόκειται, quippe a Graecia terrarum situm intuenti [92]).

§. 17.

Scythiae Herod. magnitudo et forma.

Borystheneïtarum emporium sive Olbia est ad occidentem ostii fluminis; id eo probatur, quod

illi etiam ad Hypanim incolere dicuntur [93]. Ab hoc emporio Herodotus omnis mensurae initium facit. Propter varios errores optimum videtur, ad verbum dicta eius exprimere; loquitur autem hoc modo [94]: „Scythia, quae est quadrangularis (*τετράγωνος*, minime vero quadrata), duo habet latera in mare (i. e. Pontum) prorecta, unum ad interiorem terram spectans, alterum praeter ipsum mare. Scilicet ab Istro ad Borysthenem usque est decem dierum iter, a Borysthene ad Maeetim paludem itidem decem. A Ponto in interiorem terram ad Melanchlaenos usque, viginti dierum iter est. Diei iter vero 200 stadia mihi numeratur. Hac ratione obliqua Scythiae (*τὰ ἐπικάρσια*) efficiuntur 4000 stadia, et recta in interiorem terram (*τά ὄρθια τὰ ἐς τὴν μεσόγαιαν φέροντα*) itidem. Talem haec terra habet magnitudinem.“

Apparet Herodotum de duobus tantum figurae quadrangularis lateribus loqui; reliquorum duorum longitudinem omnino non attingit, neque certo describere potuit, quum nulli ibi essent fines naturales. Istrum tantum, qua ad ostium properat, sumit finem Thraciam inter et Scythiam esse. sed ne hunc quidem in cursu superiore, quum „fluvius in Scythiae ipsius latus intret.“ Adversus Neuros aliquatenus Tyrae palus finem facere potuit, tum vero deserta Scythiam terminant, quare de certis finibus ne cogitari quidem potest. Praeterea quod ad formam terrae attinet, iam Larche-

rus adnotavit, hic in τετράγωνος omnino non posse quadrátum perfectum intelligi (un quarré parfait [95]), et haec res maxime Niebuhrium eosque, qui in eius verba iurarunt, fefellit [96]. Spatium Herodoti a Borysthene ad Istrum sane est nimis longum, quamquam stagnosum sinum, in quem Borysthenes influit, rationi illatum esse non est credibile [97]. In altero spatio a Borysthene ad Maeotidem, rectam Herodotus ducit lineam et Tauricam (quae ipsi tantum acte est) resecat, ut extra quadrangularem figuram iaceat. De hac igitur peninsula eiusque forma (id quod monet recte Niebuhrius [98]) Herodotus plane falsam habet sententiam; nihil de Isthmo novit, totam terram Japygiae et Atticae cum Sunio comparat. Tamen non est ita nullus in geographicis, qualem Niebuhrius eum reddit. Novit Bosporum; et unde is efficitur? Chersoneso aspera, in qua habitant Scythae, a Mithridate demum Eupatore inde expulsi [99]); ita enim intelligendum est: — ὀρεινήν τε χώραν καὶ προκειμένην τὸ ἐς Πόντον, νέμεται τὸ Ταυρικὸν ἔθνος μέχρι Χερσονήσου τῆς τρηχέης καλεομένης (IV, 99). Olim vero Tauros magis in septentrionem habitasse, etiam extra peninsulam, inde est verisimile, quod Taurici illic montes nominantur ab ipso Herodoto, a quibus Fossa illa erat in Maeotidam ducta, ad tuendam Scythiam. Ut igitur Niebuhrius τετράγωνος sine causa explicat: quadrata, ita etiam nulla ratione Tauricam et Chersonesum asperam idem esse

praeiudicat, quod stare cum illo Herodoti loco minime potest; potius scriptor duo habere illic promontoria putandus est, alterum maius, quod cum Sunio etc. confert (Criumetopon), alterum minus (Melae Parthenium?), quo efficitur fretum Cimmerium.

Tertius Viri Cl. error est in vocibus *τὰ ἐπικάρσια, τὰ ὄρθια*, quas sane nullum interpretem dignas habuisse miror, ut explicentur. Attamen in hac re maxima est difficultas, et Niebuhrius quum *τὰ ὄρθια* intelligeret a borea meridiem versus porrecta, *τὰ ἐπικάρσια* vero plane negligeret, omnino falsam prodidit Scythiae imaginem Herodoteam. Latus Scythiae ad Pontum ab Istro usque ad Maeotidem (Tauricâ scil. resectâ) nominat *τὰ ἐπικάρσια*; quid hoc est? Sane optime dictum non est, non potest tamen non significare: quae oblique in Pontum se porrigunt; eaque res vel maxime eo probatur, quod Herod. (IV, 99) dicit: *ἀρχαία Σκυθικὴ, πρὸς μεσαμβρίην τε καὶ Νότον ἄνεμον κειμένη μέχρι πόλιος καλεομένης Καρκινίτιδος.* Et mox: *ἐστὶ γὰρ τῆς Σκυθικῆς τὰ δύο μέρεα τῶν οὔρων ἐς θάλασσαν φέροντα, τήν τε πρὸς μεσαμβρίην, καὶ τὴν πρὸς τὴν ἠῶ, κατάπερ τῆς Ἀττικῆς χώρης.* Utrumque locum si comparas, apparebit *τὰ πρὸς μεσαμβρίην* Herodoto esse latus ab Istro ad Carcinitidem, (non, ut Niebuhrius intelligit) a Tanaï ad hanc urbem, imo hoc latus est *τὰ πρὸς τὴν ἠῶ.* Quod vero de Attica Hero-

dotus ait, de Taurica tantum dicit ut facile docent sequentia. „Quomodo vero Herodotus (dixerit aliquis) litus ab Istro ad Carcinitidem potest dicere in meridiem porrectum?“ Non prorsus in meridiem intelligendum est, ita tamen ut magis magisque quasi meridiei appropinquare contendat, indeque efficiatur ἐπικάρσιον. Sed quid est: τὰ ὄρθια? Non dubium est, quin significet litus Maeotidis a Tanaï ad Carcinitidem vel fortasse ad Chersonesum asperam; sed quomodo hoc est ορθιον? Vocabulum ipsum ex Herodoto non potest explicari, neque omnino est usitatissimum; apud tacticos certe ὄρθιοι λόχοι sunt Romanorum manipuli, directa linea in hostem irruentes; ἐπικάρσιος contra de phalange Macedonum dici poterit, quae oblique in hostem conversa est. Ita etiam τὰ ὄρθια sunt latus Scythiae, quod rectâ in Pontum lineâ iacet; sed nimirum non a septentrione in meridiem (ut volunt Niebuhr., Doenniges, Baehrius al.), neque is est situs Ponti Herodotei, sed etiam magis ex oriente in occidentem, quo optime confirmatur illud πρὸς τὴν ἠῶ, de hoc latere dictum. Haec etiam sola ratio erit, qua explicetur situs illius Fossae in paludem Maeotidem ductae, quae advenas ab orientalibus Scythiae finibus arceret; haec vero a Niebuhrio omni omissa est, nec si eius rationem habuisset, talem potuisset terrae imaginem fingere. Haec vero fossa quum in Maeotidem influat et Scythiae praesidium sit, paene a septentrione meridiem

versus fluere putanda est, idque ut videtur prope Tanaim. Scythae enim ibi pertinent *ἐπί τε τάφρον καὶ ἐπὶ τῆς λίμνης τῆς Μαιήτιδος τὸ ἐμπόριον, τὸ καλέεται Κρημνοί· τὰ δὲ αὐτῶν κατήκουσι ἐπὶ ποταμὸν Τάναιν.* (IV, 20). Quid igitur fuit inter fossam et Scythas remotissimos? Graecorum puto quaedam coloniae, vel ager potius emporii Graeci terrâ undique a Scythis circumclusa.

Quartus Niebuhrii error (veritati enim honor concedendus est) in eo versatur, quod Istri cursum false secundum Idelerum describit; quum enim Herodotus dixisset illum esse finem Scythiam inter et Thraciam, Vir Cl. in omne hoc latus Scythiae suae Istrum facit a septentrione ad meridiem pecurrentem. Sed ad hoc inductus est illis Herodoii verbis, (II, 34) ubi dicit Istrum cum Nilo comparatum fere *ἐξισοῦσθαι τῷ Νείλῳ*; id vero ad longitudinem cursus (quatenus Nilus notus fuit) et ad cursum in universum tantum pertinet; non ita, ut prorsus ambo fluvii sibi in toto cursu respondeant, quod nullo loco Herodotus contendit. Niebuhrius hunc quoque errorem evitasset, si ad verba illa Herodoti *ἐς τὰ πλάγια τῆς Σκυθίης ἐμβάλλει* attendisset; ostia tantum ad Eurum conversa dicit; in quo sane ipse Herodotus paullulum lapsus est. Siquidem vero profligata iam res est non esse huius Scythiam quadratam, vel ad nostrarum tabularum veritatem cursus Istri, si lubet, describi potest (exceptis tantum ostiis),

quod quidem damnum afferre quadrangulari eius formae non video. Hoc si feceris, sane habebis terrae imaginem Niebuhrianae admodum dissimilem, tamen quae ad veram scriptoris sententiam propius accedat; et equidem ita persuasum habes: Virum aliquem eruditione clarum propter errores notare, neque huic, neque censori posse ignominiam afferre.

§. 18.

Scythiae Herod. fluvii.

Montes in septentrione Scythiae Herodotus non novit, sed paludibus omnia illa repleta habet; ita etiam nonnullos Scythiae fluvios ex eis repetit, ex commutatione significationis, quam habet vox μήτηρ; (ita certe Ritterus sentit, v. mox infra). Quod primum Herodotus ait Tyrem et Borysthenem a septentrione fluere, sane nostrae imagini admodum repugnat; tamen non ita proprie est intelligendum, quum Herodoto a Graecia rem intuenti boreas paullum ad orientem accedere posset. Luce clarior res erit, si perpendis, quod etiam Dario appropinquante Scythae feminas et liberos praemittunt, ἐντειλάμενοι αἰεὶ τὸ πρὸς βορέω ἐλαύνειν [100]) Quid? num in Androphagos, Melanchlaenos, etc. hostes magis quam amicos [101]), ire iussae sunt? Minime, sed in Budinorum terram iter erat, qui belli societatem gnaviter tuebantur. Itaque ut hoc dicit „ad boream," ita Borysthenes quoque et Tyres „a borea" fluunt.

Ister, maximus terrarum fluvius secundum Nilum, a Celtis originem capit, omnem Europam perfluit cursu ad orientem directo; postquam vero in Agathyrsis (Hungaria nostra) Marim excepit, ad Eurum se convertit; tamen (ut dixi), quamvis alterum amnis flexum, quo ad orientem rursus it, Herodotus non nominet, ideo hunc omnino nesciisse non putandus est, alioquin mirum videri potest, cur ostium dicat ad Eurum (rursus) vergere. — Ostio quintuplici in Pontum exoneratur; ibi est Istria, Milesiorum colonia [102]. Praeter alios huic in Scythia quinque fluvii aquam infundunt, quorum tamen cursum Herodotus false, h. e. non pro recentiore veritate, describit. Pyretus enim, (Scythis Porata), longe maximus, quin sit noster Prutha, vix possit in dubium vocari [103]; si vero huius cursum ad orientem esse dicit Herodotus, maxime lapsus est. Restat tamen, ut *πρὸς ἠῶ* (*ἠοῦς*?) *ῥέων* intelligamus, non: orientem versus fluens, sed omnino: qui maxime ad orientem est; cui opponitur Tiarantus *πρὸς ἑσπέρης μᾶλλον.* Quae res quantopere sibi probetur, quisque viderit. Caeterum Niebuhrius Tiarantum nostram Alutham esse contendit, quoniam inter illum et Pyretum tres fluvii Herodoto infundunt, quod ad nostras chartas optime quadrat. Sed omnis illa plaga Herodoto ignotior fuisse videtur, quam ut accuratius de ea percontari, quae dixerit, possimus. Caeterum Niebuhrii sententiam de Herodotea imagine falsam esse vel hi fluvii probant;

ubinam terrarum hos referre in suam tabulam poterit? nec fecit, nec facere ex instituto suo potest; nobis vero abunde facultas data est eos collocandi, scilicet in Hungaria, Wlachia et Moldavia nostra.

Tyres exit e palude magna, quae Scythiam a Neuris seiungit; cursus ad meridiem directus (v. supra). Ad eum fuerunt tumuli Cimmeriorum, antiquiorum Scythiae incolarum [104]), ad ostium Graeci incoluerunt, Tyritae dicti. Mirum, quid sibi velit palus illa, eaque *μεγάλη*; nullam esse illic, neque omnino Tyrem (Danastrum) ex palude fluere, nostri geographi innuunt. Fortasse eadem se ratione res habet, ac de Hypani, quamquam illum lacum non nominatum ab Herodoto video Matrem Tyrae.

Hypanis, qui sequitur, originem habet ex palude Scythica, quam circum equorum ferorum colore albo versantur agmina. (*Μήτηρ Ὑπάνιος*)[106]). Quinque dierum navigationem est exiguus et aqua dulci, tum septem a mari dierum navig. fonte amaro inficitur inter Scythas aratores et Alazones; nomen fonti et regioni Exampaeus, h. e. *ἱραὶ ὁδοί.* In Alazonibus Hypanis Tyrae appropinguat, tum ab eo recedit, ostium cum Borysthene confundit. Hanc de fonte narrationem sunt qui omnino fictam putent [206]). Quae vero Ritterus coniecit, non omnino videntur spernenda. Hypanim, Borysthenem cum Exampaeo et Gerrho

tum Maeotidem probare studet habere quandam religionis societatem antiquam cum India et Perside. Ita albi equi significant Solis cultum [107]), quales ei apud alias gentes pascebantur. „Nomine *Μήτηρ* non originem fluvii significare, sed prave intellectum esse ab Herodoto; ita etiam Plinium [108]) Temerinda, i. e. mare Indorum (colonorum accolentium), de Maeotide, falso vertere: mater maris [109]).“

Borysthenes [110]), Scythiae uno Istro inferior amnis, (itaque tertius in terrarum orbe) amoenissime inter prata et pascua fluit pecoribus abundantia; ipse scatet piscibus optimis et cete habet (antacaeos dictos) ad salsandum aptissima. Aqua eius dulcis est ad potandum, et praeterea limpidissima; iuxta eum sementis fit optima, et herba non sativa etiam altissima. In ostio ingens vis salis sponte concrescit. Fontes eius aeque ac Nili (fluvii sancti) sunt ignoti, imo ne ad Gerrhum quidem aditum per Scythas licuisse veri est simile. Hoc autem Gerrhum oppidum abest a mari XIV. dierum iter; scilicet omnibus flexuris ad calculum reductis; alioquin ne est quidem in tantum spatium navigabilis [111]). Ita etiam sacrum Gerrhum in mediam Scythiam intrat; nam locum eximiae sanctitatis, ubi etiam reges sepeliebantur, in finibus terrae fuisse non potest cogitari. Ad extremum Bor. languidus fit (*ῥέων γίνεται*) et cum Hypani in idem stagnum (*ἕλος*) infundit; ibi pro-

montorium (ἔμβολον) Hippolai efficit, quod Creuzerus cum Hippa, Bacchi Sabi matre, coniungit (etiam Hypanim fortasse), quemadmodum etiam Olbia olim Sabia dicta est [112]. In hoc promontorio fuit templum Matris Magnae; quae etiam est descripta in numis Olbiopolitarum [113]. — In Borysthene et Hypani apparet Herodotum diligentius et quasi cum studio aliquo versari; imprimis Borysthenem omnibus pulchritudinis laudibus effert. Inde Ritterus coniicit, hunc amnem olim (in cultu Cimmeriorum) maxima fuisse religione, quare etiam Targitaum autochthonem, quem falso Scytharum auctorem nominarunt, Borysthenis filia natum fecerunt (IV. 5). Caeterum iamdudum ante Scytharum invasionem magnam fuisse fluvii sanctitatem inde effici videtur, quod (secundum lexicographos) tempore remotissimo, Hellesponto nomen Borysthenis fuisse fama ferret [114].

Panticapes ex palude venit, quae est in Hylaea sive Scythia sylvestri; in Borysthenem infundit. Inter utrumque sunt Scythae agricolae.

Gerrhus (mirando modo) apud locum cognominem oritur ex Borysthene, Scythas nomades a regiis seiungit et in Hypacyrim aquas infundit, qui per Scythas nomades fluit, Hylaeam et Achillis Cursum terminat, et in Pontum se exonerat ad Carcinitidem urbem. Neque hic, neque ille est in nostris tabulis, neque umquam fuisse potest; incisionem illum Ponti sive sinum, quo isth-

mus Tauricae peninsulae efficitur, Herodotus fluvium habuit, quod sane potest excusari; utque iam de Scythia occidentali, in quo ipse videtur versatus esse, multa prodigiosa retulit, ita in terra a Borysthene orientali omnino lapsus est.

Tanaïm denique Europam ab Asia distinere iam vidimus; is secundum Herodotum supra ex palude magna ortus Hyrgim recipit et in Maeotidis sinum ultimum influit. Pejus etiam Scylax cum ἐκ τῆς ἔξω θαλάσσης repetit [115]); melius Mela: ex Riphaeo monte deiectus [116]). Tanaïm a septentrione fluere nusquam dicit Herodotus; atqui sic habet Niebuhriana imago quadrata.

Hi sunt octo Scythiae fluvii navigabiles [117]); praeterea vero sec. Herod. tantus ibi est numerus, quantus in Aegypto fossarum, i. e. sanequam ingens.

§. 19.

Scythiae Herod. coelum, solum, quae gignit.

De coeli temperie, qualis fuerit in Scythia, habes locum Herod. IV., 28: proprie de terra remotiore Arimasparum etc. loquitur, pergit tamen: *ἡ δὲ θάλασσα πήγνυται, καὶ ὁ Βόσπορος πᾶς ὁ Κιμμέριος, καὶ ἐπὶ τοῦ κρυστάλλου οἱ ἐντὸς τάφρου Σκύθαι* (v. supra) *κατοικημένοι στρατεύονται καὶ τὰς ἁμάξας ἐπελαύνουσι πέρην ἐς τοὺς Ἰνδούς.*

Ita habent omnes libri; item c. 86 τῆς Ἰνδικῆς, ubi Herodotum egregie lapsum notabant, miscentem Indiam cum Sindica, vel certe σ excidisse autumabant propter literam antecedentem. At nihil opus est, Indus ipse apud accolas est Sindus[118]), et plane idem sunt Sindi, et Indi; idem Sindica et Indica. Hoc infitias iri nequit, et in hoc velut firmo fundamento posita est Ritteri coniectura de Indorum coloniis ad Maeotidem et in Scythiam postea nominatam deductis. — Liquet vero illo Herodoteo loco θάλασσαν significare Pontum et Maeotidem etiam cum illo coniunctam, quae alias audit palus. — Id quoque ut mirum affert Herodotus, aqua effusa illic non lutum effici, sed accenso igne. Hoc a veritate recedere, — quae nunc est Rutheniae australis temperies, probare videtur; revera tamen ita fuisse etiamsi soli Herodoto non crederes, habes aliorum testimonia, quibus efficitur, mutatam sanequam esse locorum et coeli conditionem. Praeterquam enim quod Ovidii Ponticas illas lamentationes novimus de frigore non tolerabili, etiam Hippocrates[119]) ait fere idem. Plinius etiam a fulminum ictu omnino immunem esse Scythiam scribit propter frigus, Herodotus vero nullas ibi esse coeli tempestates, quando alias esse solent, magnas vero esse τοῦ θέρους (tempore messis?); quae hieme fierent, ut terrae motus esse inter prodigia[120]). Caeterum non omnem Scythiam incultam fuisse, iam nominibus Aratorum et Agricolarum indicatur; et si Σκυθῶν ἐρη-

μία in proverbio erat, hoc est tantum a potiore (ut aiunt) dictum [121]). Duas imprimis res Herodotus nominat, quas Scythia prodat, gramen et cannabem. Gramen maxime ad Borysthenem fuit pulchrum, hanc vero praeter alia vim habuit, ut bilem augeret (ἐπιχολωτάτη), quam rem ita se habere dissectis pecoribus liceret discernere [122]). Cannabis genus aliquod illic nascebatur lino simillimum, vel satum, vel sponte, Graeco praestantius magnitudine et crassitudine. Ex hac Thraces vestimenta conficiebant, „quae si quis non viderit cannabem et magnopere rei gnarus sit, existimet esse linea [123]).“

De colo et tarando, Scythiae animalibus propriis, infra satius erit disputare.

§. 20.

Scytharum Herod. species, numerus, gentes.

Quae fuerunt Graecorum coloniae ad Pontum borealem conditae, Scythiae ab Herodoto adnumerantur, ut quae marginem tantum terrae tenebant; tamen hi sunt etiam Ἕλληνες οἱ ἐν τῇ Σκυθίῃ κατοικημένοι [124]), aliorum enim ne vestigium quidem est. Illi vero in occidentali parte ita cum Scythis coaluerunt, ut Herodotus eos Ἕλληνες Σκύθαι, h. e. Graecos Scythicos, sive mavis Scythas Graecanicos, nominet. De specie Scy-

tharum nihil scribit; quod possit probari, eum non habuisse, nisi in transgressu tantum cum Timne commercium, Olbiae fortasse utrumque fuisse. Herodoti aequalis Hippocrates nonnulla de rebus ad hunc locum pertinentibus tradidit scripta, quae iam supra (§. 8) a nobis allata non amplius moramur. Ad perficiendam populi imaginem addendum est, quod Aristoteles scribit, gentibus ad Pontum Thracicis et Scythicis proprios esse crines promissos, molles, quasi madidos [125]); hos esse Scythis exiguos atque tenues, Lucidanus in Toxari auctor est. Mela eos caeteris hominibus diutius vivere narrat, fortasse ex Homero, ut diximus, ut sint illic *Ἄβιοι*, qui in australi terrarum parte vocantur *Μακρόβιοι*.

Numerum populi Herodotus exprimere non potest idque pro re nata; num praeterquam quod Scythae in australibus praesertim partibus cum Graecis erant commisti, etiam nulla unquam nomadica gens potest certo numerum suum definire. Ille vero non varia solum, sed etiam contraria ait de ea re narrari, aliis plures aliis pauciores esse eos tradentibus. Hoc quidem nimirum non erit obscurum, si cogites, Herodotum tantum esse eum, qui studiosissime contra alios contendat, Scythiam esse finibus certis (h. c. quam possit fieri certissimi) coërceri. Fabulosum non potest non esse, quod de numero Scytharum Europaeorum refert. Fuit in Exampaeo ingens ahenum, quod fortasse

ipse Herodotus vidit; hoc olim Ariantas, Scytharum rex, ex aculeis sagittarum confecerat, quum singulos ab unoquoque Scytha afferri capitis supplicium minatur iussisset [136]). Huic rei infra scrupulum iniiciamus erit necesse. Gentes apud Herodotum sunt Callipidae, Alizōnes s. Alazōnes, tum Auchatae, Catiari et Traspies (v. supra), Paralatae, h. e. Scythae regii sive aurea caterva. Praeterea singillatim nominantur Scythae nomades Sc. aratores, Sc. agricolae, Sc. ἀποστάντες sive seditiosi trans Tanaïm pone Jyrcas, tum Graecanici illi Tyritae, Istriani, Borystheneïtae, Olbiopolitae, denique in Hylaea, si lubet Scythae sylvestres [127]). Restat, ut de Sacis loquar.

§. 21.

Sacae Scythici.

De nomine Sacarum iam commentatum est, quum de nomine Scytharum ageremus; Sacae vero Persis omnes Scythae fuerunt secundum Herodotum [128]). Illos ipse appellat nunc omnino Scythas, nunc Sc. Amyrgios. Habitabant in extremis regni Persici borealibus; numquam hoc lacessiverant, regum tamen Persicorum ambitione fuerunt subiecti [129]). Habebant caeterum mores comes et solemnia non barbaro modo habita [130]). Persis non omnino fortasse fuerunt subditi, eos cum ignominia nominabant Chor-sari [131]), h. e. cultores solis; ea ex re Ritterus coniicit, apud ipsos

obtinuisse Buddhae cultum vetustissimum, indeque eos nomen etiam a Persis traxisse, quod quomodo se habet, equidem orientalium rudis interpretari nequeo. — Diodorus et ipse prorsus dicit: *τῶν Σκυθῶν οἱ προςαγορευόμενοι Σάκαι* [132]); quod tamen de his tradit, mirum possit videri: Rege Medorum Astibara, (qui fuit tertius post Arbacem) Sacae et Parthi se liberare studuerunt. Tunc fuit Sacarum regina eademque heroïna Zarima, quae exercitui ipsa praefuit. Bellum ancipiti Marte gestum, cladibus utrimque magnis; tandem qui antea fuerat rerum status, revocatus est. Maxime eo bello enituisse feminarum gloria dicitur, quae tamen certe non est institutum Scytharum, sed de Sarmatis et Issedonibus ab Herodoto refertur. Zarimae monumentum posuere pyramidem, altitudine stadii [133]). — Quod Tzetzes habet, sane primum non optimum videtur, quia nomen a *σάκος* derivat, tamen quae de fortitudine feminarum Sacidum perhibet, e Ctesia multisque aliis hausisse sese profitetur [134]). — Posteriore tempore quamvis non omnino subiecti Persis fuerint Sacae, tamen agmen eorum sequuti sunt, nec non in satrapiis imperii recensebantur, diversis tamen modis. Herodotus enim in XVma eos cum Caspiris collocat [135]), tamen in Xerxis expeditione una cum Bactrianis nominantur [136]), quemadmodum iam Cyri tempore [137]). Commemorantur apud Thermopylas, duce Hystaspe, filio Darii et Atossae, Cyri quae fuit filii [138]). Etiam

ad Plataeas dimicarunt, et fuerunt ibi Ampraciotis, Leucadiis, Paliis et Aeginetis oppositi. Qui quum essent numero duo millia, concludi fere potest, Sacarum multitudinem, quandoquidem tripla fuit, sex millia non excessisse [139]).

§. 22.

Scytharum Dii et sacra.

Consuetum Graecorum morem sequutus Herodotus Scytharum Deos quos nominat, cum Graecis comparat. Ita primum Tabiti dicit *Ἱστίην* [140]), eamque Reginam quasi Scytharum esse [141]), quod sane mireris, si cogites, Scythas fuisse nomades maximam partem, Vestam vero Deam foci familiaris. Caeterum mireris etiam, Ritterum contendere, illam Vestam significare solis cultum, quum ipse auctor sit Massagetas eo differre a Scythis, quod ipsi habeant illum solis cultum, Scythae vero non habeant [142]). Probabilius videtur, illam Deam, praeterquam quod non omnino Vestae similis fuerit, proprie non Scythicam fuisse, sed Cimmeriam, de quo v. infra. — *Παπαῖος* est Graecorum *Ζεύς, ὀρθότατα κατὰ γνώμην γε τὴν ἐμὴν καλέεται Παπαῖος*, quod iam potest ostendere, quam gratae fuerint Graeco homini tales similitudines, nec procul a veri similitate abest, Herodotum paullulum inflexisse nomen Dei. Idem valet de *Ἀπίη*, quae est *Γῆ*, sed Papaei conjux. Quam vero similitudinem Thamimasades cum Ne-

ptuno habuerit, non liquet; ille regiis tantum Scythis cultus fuit, qui videlicet non fuerunt navigationis admodum appetentes. Tum *Οἰτόσυρος*, (sive paullo aliter se nomen habet [143]), merito dicitur Apollo, illud enim cognomen etiam in memorabili inscriptione, quam Larcherus profert, tribuitur Dianae et Apolloni Mithrae [144]), ita tamen, ut *Οἰτόσκυρος* sonet. Haec iam fortasse verissima verbi forma docet falsam esse Ritteri coniecturam, *Οἰτόσυρον* esse Got-Osyrim, non ex Aegypto advocatum, sed superius ex India. Quod vero fama fuit Osirim olim bobus ad Maeotidem arasse [145]) non illuc spectare videtur, sed (si licet coniicere), coloniam agricolarum potest significare, ex Aegypto advenarum.

Ἀρτίμπασαν Herodotus per *Ἀφροδίτην Οὐρανίην* reddit, quod et ipsum valde mirum. Nam primum, nonne ridiculum videtur Venerem Caelestem facere Scytharum barbarorum propriam Deam? Atqui potest hoc, ut Ritterus monet, de Venere boreali intelligi, quae in universum longe differt ab australi illa Phoenicum Astarte, longeque castiorem videtur cultum habuisse. Sed quomodo etiam in Palaestina Syria templum Veneris Coelestis fuit, idque vetustissimum? quomodo porro Scythae terram invadentes illud templum spoliarunt? et, si propter scelus commissum morbo muliebri corripiebantur, quam ob rem Dea his vaticinandi facultatem dedit? Qui porro fuerunt

postea illi vates, Enares (Ἐνάρεες) dicti, si non laedebant illud templum? Quae res quomodo sint componendae, alii viderint; mihi quidem nihil effici posse, et Herodotus admodum confuse disputasse videtur. Probabile vero potest esse, eandem Deam multimodis esse Graece expressam, quum nulli Graecorum Deae plane responderet. Haec videtur esse Demeter, cuius sacrum fuit in promontorio Hippolai inter ostia Borysthenis et Hypanis; nec potest haec esse propria Scytharum Dea, sed Cimmeriorum potius est. Fortasse Artimpasa (Hertha??) est etiam Magna Mater, quae compluribus locis ad Pontum colebatur (a Graecis) et in numis Olbiae est. Alterum eius nomen est *Μαῖα*, i. e. secundum Ritterum Indorum Maha-Mai (Magna Mater); ab hac Maeotidem nominatam esse testatur Eustathius [146]). Utrum *μητέρες* illae, paludes, ex quibus Hypanis et Pontus oriuntur, inde nomen traxerint, an propter cultum Magnae Matris, non profligatum iri autumo; multis poterit in utrumque disputari.

Hercules et Mars ab Herodoto Scythica appellatione non nominantur. Graecum Herculem Graeci fabulabantur olim in Scythiam venisse et Scythae patrem esse; sed hic alius videtur Hercules, si Huellmanni rationem sequeris, Aegyptius, imo, si Ritterum audis, Indicus Buddha. De Hercule Scytharum Herodotus nihil tradit, nisi hoc: apud Tyren esse eius vestigium in saxo, simile pedi humano impresso, magnitudine duorum

cubituum [147]; id esse unicum terrae miraculum, idque ipsi ostendebant. Invenimus autem in Ceylone insula, in Pico Adami qui dicitur, vestigium Buddhae mirae religionis, cuius etiam magnitudo est illi suppar; et hoc adminiculo maxime utitur Ritterus [148]. Imo in Italia simillima res inveniebatur apud Pandosiam [149]; quocum si Aristeam coniungis cum Apolline Metaponti versatum et utriusque statuam illic collocatam, valde augetur suspicio: fuisse olim aliquam religionis migrationem ex India super Pontum usque in Italiam; eodem referenda sunt illa de Hyperboreorum sacris Delphos et Delum profectis. — Templa et aras Deorum Scythae neque habebant neque habenda putabant, excepto Marte; eius sacra quoque singulari modo fiebant, caeterorum eodem hoc: Hostia colligatis anterioribus adstabat; operator laqueum collo iniicit et inserto bacillo contorquet, donec hostia iugulata corruat. Dein numen precatus cutem detrahit, tum demum carnem et viscera igne excitato coquenda curat. Ad hoc utebantur Scythae ipsius pecoris ossibus, quum omnis terra praeter Hylaeam ligno careret, quae res hodieque ita se habet. Carnem ab ossibus solutam aheno vel etiam ventri immittit, ossa ardentia subiicit [150]; prosicias viscerum Deo oblatas ante se proiicit. Operabantur Scythae bobus, ovibus aliisque quadrupedibus (προβάτοις), imprimis equis; soli Marti homines offerebantur; asinos mactatos esse falso referunt, de quo v. infra [151].

In unoquoque Scythiae nomo fuit ingens Martis ara sarmentis exstructa, ὅσον τε ἐπὶ σταδίους τρεῖς longitudine et latitudine, altitudine vero non aequa. Siquidem σταδίοι idem sunt, quod στάδια (cf. c. 85), non admodum credibilis illa res videtur. Supra eum aram planities magna efficitur quadrata, tribus lateribus praerupta, una acclivis ad aditum. Quotannis centum et quinquaginta plaustra sarmentis onusta illuc veniunt ad restituendam aram, cuius pars singulis nomis imperata est. In quaque ara est vetus acinaces, Martis simulacrum (ἄγαλμα), cui plurimae oves et equi mactantur. Etiam ex captivis centesimum quemque, postquam in caput eius libarunt, in vase magno iugulant, tum eius sanguine gladium illum irrigant; corpori dextrum brachium cum armo decisum in sublime iaciunt, tum delapsum hoc et truncatum corpus negligunt [151]. — Magis etiam ad cultum fetissorum accedit, quod aurum illud coelo delapsum (v. infra) divino quodam honore affectum est, idque reges curiose servatum annuis sacris et peregrinationibus placarunt. Quod Herodotus de hac re habet, frustra videtur interpretum ingenia exercuisse nec posse enucleari; fortasse ab Herodoto aliquando dormitante scripta sunt [152].

Vates magno numero sunt apud Scythas, et vaticinantur ex multis virgulis salignis, modo coniectis nullo ordine, modo ad rationem quan-

dam compositis [153]). Praeterea qui morbo muliebri fuerunt correpti, et ipsi sortes dicebant ex fronde tiliae trifariam fissae nunc implicita, nunc expedita. Hi sunt Ἐνάριες dicti, profecto nomine Scythico, non Graeco, ut voluit Starkius, ab ἐναίρω spolio ducens [154]); alioquin Herodotus non addidisset, apud Scythas ita eos nominari. Ἀνδρόγυνοι Herod. est versio, ἀνανδριεῖς Hippocr. est inflexio e Graecorum consuetudine facta. Caeterum haec videtur peregrina (Phoenicia puto) vaticinandi ratio fuisse, quum illi ab Herodoto prorsus opponatur *μαντικὴ πατρωΐη* IV., 67. —

§. 23.

Scytharum vita publica.

Primum quod Herodotus de *νομοῖς* Scytharum loquitur et *νομάρχας* quoque nominat, non potest explicari; fortasse vero translate tantum dictum est ad rationem in Aegypto habitam; idem significare videntur *ἀρχήϊα* [155]). Compluribus locis de rege Scytharum quasi uno loquitur, uno loco *βασιλῆες* dicit [156]); in expeditione Darii tres catervarum duces memorantur, rex vero unus Idanthyrsus est. Eum fuisse regiorum Scytharum (i. e. aureae catervae) principem suspicor, qui cum optimatibus eorumque comitatu permagno eam gentem effecerit; caeteros si non re, certe opinione sua habuit servos, id quod ipse Herodotus attulit. Quaenam singillatim ratio intercesserit regiis Scy-

this cum aliis, non poterit accurate definiri; regis vero patriarchalis quaedam fuit veneratio. Maximum et gravissimum iusiurandum fiebat per regis solium [157]), quare etiam aegrotante aliquando rege id fieri putabant alicuius periuris. Haec res quum per se sit admodum puerilis, etiam iustitiae Scytharum non sane praeclarum exhibet documentum. Tres vates praestantissimi ad regem aegrotum adesse iubentur caussamque morbi indicare; dicunt hunc vel hunc peierasse per regis solium (τὰς βασιληΐας ἱστίας) [158]). Qui arreptus si negat, alii vates advocantur; horum post aspectum bacillorum casum si idem est iudicium, reo statim caput deciditur. Sin minus, rursus alii arcessuntur, donec diffissis in diversas sententias omnibus, alterutra pars maiore suo numero vincit; victi cum liberis crudeli modo interficiuntur [159]). — Funera quoque regum maximo apparatu celebrabantur, fiebant in Gerrhis, loco sancto ad Borysthenem sito. Corpus regis cera perungunt, ventrem cypero, apii semine et aniso implent Scythae (regii scilicet), tum ad caeteras gentes circumagunt; omnes aurem sibi decidunt, crines tondent, brachia sauciant itemque nasum et frontem; manum sinistram sagittis transfodiunt. Pompa ad Gerrhos ut ultimam gentem pervenit magno stipante subditorum numero. Tum in toro quodam, qui se attollit e scrobe magna quadrangulari, corpus reponunt, hastas circumsistunt teguntque palliis. Quod reliquum est scrobis, mactatis tum pellice

regis dilectissima, tum pincerna, tum coquo, equisone, equis praeterea etc. implent. Deinde humum certatim et avide iniiciunt, cupientes tumulum efficere quam maximum. Circumacto vero anno ministrorum regis quinquaginta strangulant totidemque equos praestantissimos, corpora palea implent et rursus consuunt, frena quoque imponunt. Juvenum illorum unicuique stipitem rectum per spinam ad cervicem usque transfigunt eumque tigno per equos singulos traiecto inserunt; equites ita factos circum tumulum sistunt.

Non addidissem has singulas res, nisi maioris essent momenti, quam primum intuenti videntur. Praeterquam enim, quod eo paullulum illustratur, quae fuerit regum apud Scythas, et quae regiorum Scytharum conditio, etiam Herodoto ipsi lux impertiri potest. Fuisse scio, qui negarent eum Scythiae quadrangularis incolas ab ingenti Scythicarum gentium turba segregare; hos video ipso hoc loco egregie refelli. Quomodo enim tam accurate mores eorum et singularia instituta potuit comperire, aut describere, si ipsi fuerunt gens usque ad extremum boream et orientem pertinens? quomodo dicere potuit: *ἐν Γέῤῥοισι ἔσχατα κατοικημένοισι τῶν ἔθνεων, τῶν ἄρχουσι* [160])? — Alia res est, si quaeras, num iure Herodotus ita Scythiam suam determinaverit; id tantum (si qua opus fuit) effectum volui: Herodotum in eo sibi constare, ut Scythas ponat in terra a Ponto bo-

ream versus proxima, caeterorum paene omnino negligens.

Scythae fuere gens bellicosa nec rapinis publicis abstinebant; praedae particeps is tantum fuit, qui hostis occisi caput ostendit; virtus postea, quum Graeci mores ingruerent, vino ampliore in conviviis honorata. Tamen maximam partem ex pecoribus victum quaerebant nec fuerunt ab omni cum finitimis commercio alieni. Mercaturam faciebant cum Graecis Ponti accolis, et septentrionem versus usque ad Argippaeos et montium radices; illis pueriles fabulas et mostellarias narrabant de septentrionali terra, quippe eam intercludi pinnis cadentibus, gryphes ibi esse, etc.; callide usi illa Graecorum credulitate. Maxima vero gentis pars totam fere vitam in equis pendentes degebant, arcu sinistrae manui inserto (*ἱπποτοξόται*); hoc summum putabant viri ornamentum, et talis etiam Anacharsidis (quamvis non bellicosus esset) statua fuit in Athenarum foro posita. Arcus Scythicus in multis similibus a poëtis et prosariae orationis scriptoribus est commemoratus; qualis eius fuerit forma, non liquet [161]). Sagittandi arte longe alios populos antecellebant [162]); Plinius etiam viperina sanie et sanguine humano eos tingere sagittas scribit, quod Herodotus certe non habet de suis Scythis. Praeter arcum hic commemorat etiam *αἰχμάς*, sed tantum in sepeliendis regibus adhibitas, et si vis, flagellum illud servis

terribile [163]. Qui plurimos hostes cecciderant, iis duo simul calices vini in convivio annuo apponebantur, eorum amicitiam plurimi ambiebant; auri nulla habebatur ratio [164]. Errare eos, qui feminas Scytharum dicant viris fortitudine pares [165], iam supra dictum est. De fortitudine hoc tantum addendum: Qui primum hostem prostravit, sanguinem eius potat, caput amputatum praedae causa ad regem fert [166]. Cutem capitis circumcisam detrahit et manibus fricando mollem reddit, eamque ut mantile ex frenis equis pendit ad ornamentum; quo quis plura habet talia, tanto maior ei honos constat. Nonnulli etiam illas cutes humanas consuunt et amiculum sibi inde conficiunt; et ex pelle dexterae manus vel brachii pharetrae operculum. Alii denique omne corpus curiose solvunt a cute eamque lignis distentam ad humani corporis formam secum equo vehunt. Inimicissimum sibi qui vicit, cranium superciliis superius serra abscindit; et his cute bovina circumdatis, vel etiam, si copia est, intus inauratis ut potoriis vasibus utuntur; eis apud peregrinantes gloriantur [167]. Illud etiam faciunt, si familiares, quibuscum dissidia habuerant, *παρὰ βασιλεῖ* i. e. iudice rege [168]) vicerunt; fortasse eam ob caussam, quod amicitiam admodum colentes, familiares sibi infensos factos maximos putabant inimicos.

Servos quoque in exercitu fuisse Herodotus historia illa (IV. init.) admodum negat; Justinus

vero confirmat; non enim licuisse cuiquam, servos vendere aut manumittere, sed omnes equitandi et sagittandi arte fuisse edoctos. Vexilla quoque Scythis erant secundum Suidam, quae vento agitata serpentum formam praebebant [169]).

§. 24.

Scytharum habitus et vita privata.

Scythis propriis nulla fuit urbs, nullum domicilium, nulla certa sedes; itaque vita eorum familiaris (ne dicam domestica) fuit simplissima. De habitu et vestibus Scytharum H. fere nihil tradit; dicit tantum nonnullos accolas veste uti Scythica, cannabem praeterea apud eos nasci optimam, ex qua Thraces vestimenta conficiant lineis simillima. Justinus lana eos uti negat, et quamvis non is sit, cui fidem habeas, tamen in magno frigore Scythae satius duxerint pellibus uti, quam vestibus e lana confectis. Omnis Scytha cingulum gestabat, (quemadmodum hodieque Lithuani); caussam rei Herodotus ridiculo modo ab Hercule arcessit, quem Graeci fabularum novatores ita instructum perhibebant; phialam quoque auream e cingulo eius pependisse ferebant, qui mos apud Scythas fuit.

De Sacis paullo plura afferuntur. Hi quum Xerxis agmen sequerentur, armati erant arcu,

enchiridio et securi, vestiti praeterea braccis, galeros habebant acutos et arrectos.

Equi fuerunt maximi Scythis momenti; maluisse eos equas, quam equos Plinius affert, propterea quod illae diutius possint in itineribus urinam continere [170]). Secundum Strabonem id fuit omnibus Scythicis et Sarmaticis gentibus peculiare, ut equos castrarent, scil. ut eos haberent mansuetiores; fuisse eos parvos, verum acres admodum et contumaces [171]). Carne equina Scythas mirifice delectatos fuisse, praeter alios Hippocrates auctor est; cupide eam devorare solebant, tamen praesentibus Graecis prae pudore non attingebant, ut narrat adhuc Eustathius [172]). Etiam lacte equarum ad victum utebantur, nec non caseum ex eo conficiebant, *ἱππάκην* a compluribus scriptoribus dictum [173]), quod sitne vocabulum Scythicum ad Graeci tantum sermonis similitudinem inflexum, dubium est [174]), sed non veri dissimile. Equis plurimum operabantur, praecipue Marti. De aliis bestiis Herodotus affert: in Scythica fuisse boves sine cornibus propter frigus; contra in Lybia vel agnos habere cornua [175]). Sues nullas illic esse affirmat, quae sane magis ad domesticam hominis vitam recedunt; propterea temere videtur Plinius historiae patrem refutasse [176]). Asinos etiam nullos fuisse neque mulos apud Scythas, Herodotus refert; inde factum est, ut equi, quum in persequendis Persis usque

ad castra Darii ventum esset, sono inaudito perterriti refugerent et Scythis ab impetu esset desistendum [177]. Imo ut mirandum Herodotus affert, quod asini et muli in Scythia non tolerarent frigus, quum alias etiam magis quam equi, eius essent patientes [178]. Unde igitur Apollodorus et Callimachus sciverint, asinos a Scythis sacrificari solitos fuisse, nescio [179]. Quod Strabo affert, venationes Scythis esse in paludibus cervorum et aprorum, in campis onagrorum et caprearum, non potest de Sc. Herodoteis dictum esse, ut qui praeter Hylaeam nullas haberent sylvas [180]. Eidem colos est ànimal Scytharum quasi domesticum, quadrupes magnitudine cervum inter et arietem media, album, cursu velocissimum; naribus aquam in caput haurit ibique per dies complures reservat, ita ut facile vivat in locis aqua carentibus. Addamus, quod Plinius de tarando habet, ne ipsi quidem credibile [181]: mutat colores; magnitudo ei, quae bovi, caput maius cervino, nec absimile, cornua ramosa, ungulae bifidae, villus magnitudine ursorum; sed quum licuit sui coloris esse, asino similis est. Tergori tanta duritia, ut thoraces ex eo faciant (quinam?). Colorem omnium arborum, fruticum, florum (?) locorumque reddit, in quibus latet metuens; ideoque raro capitur. „Mirum esset, habitum corpori tam multiplicem dari, mirabilius et villo.“ Est sane fabulosa haec descriptio, et multum ab illa differt, ita tamen, ut possimus suspicari, utrique subesse idem ani-

mal, nec procul abest, ut coniiciamus esse hoc illud hodieque a Lapponibus et Samojedis propter multiplicem utilitatem summo honore habitum (Rennthier); Scythia enim late patet tum Straboni, tum Plinio, ut diximus.

Vini usus sero demum a Graecis ad Scythas trsnslatus est, et ut fit apud gentes barbaras, mox ita ingruit, ut virtus vino honoraretur [182]).

Feminae belli expertes, cum liberis et impedimentis plaustra tenebant, vel sex, vel quattuor bobus iuncta ex numero rotarum, h. e. ex magnitudine; addit Hippocrates, etiam domos in illis fuisse luto obturatas, caeterum admodum minutas; quales etiamnum Petropoli aliisque Rutheniae urbibus in foro veneunt [183]). Inde Scythae Herodoto sunt *φερέοικοι*, Scymno *οἰκοφόρα ἔθνη*, et saepe ob eam vivendi rationem memorantur [184]). Servos Herod. auctor est omnes obcaecari ad equas mulgendas, scil. quibus fistulam in naturam equae insertam inflandi negotium fuit [185]); repugnat vero, ut diximus (§. 23 fin.), Justinus.

Scytharum funera Herodotus describit [186]). Defuncti corpus in plaustro repositum ad omnes eius amicos circumfertur, qui et comitantes et mortuum hospitio et epulo excipiunt; post quadraginta demum dies corpus humatur. Tria ligna statuunt mutuo inclinata, circa haec extendunt pilea tegmina eaque ab omni parte concinnant; deinde lapidibus igne candentibus, qui sunt in al-

veo, cannabinum semen iniiciunt, vapore exorto vehementer gaudent atque eiulant [187]); corpus deinde relinquunt. Eiusmodi tumuli magno numero dicuntur inveniri a Borysthene usque ad Tanaïm; imprimis qui nuper apud Kertsch (Panticapaeum) reperti sunt, maximam habere dicuntur Herodoteae descriptionis similitudinem [188]). — Caeterum vapor ille funebris simul lavacro fuit; mulieres praeterea corpus tenace quodam ceromate oblinebant, quo post aliquot dies demto puriores et pulchriores redditae sunt.

§. 25.

Scytharum indoles et ingenium.

In hac parte maxime a veteribus non varia solum, sed plane etiam diversa tradita sunt, et quos Homerus designat ut hominum iustissimos, eos seriores habent quasi terriculum. Ex quo cum Graecis habuerunt commercia, non possunt omnino barbari et rudes fuisse; quamquam literis nullam fere operam impendebant. Sed Herodotus ostendit, multos ad eos pervenire; ipse etiam videtur inter eos fuisse, neque habet, quod de saevitia et barbarie eorum admodum queratur; immo eos antecellere omnes Ponticas gentes sapientia confirmat. Proprie sane fuerunt nomades, sed magna pars agrum colebant, si non ipsi, certe colendum curabant; mercaturae habebant tum ad litus cum Graecis, tum septentrionem versus us-

que ad Argippaeos coniunctionem [189]). Veri est simile, maxime in pellibus eam mercaturam fuisse, a Graecis vero sumebant cyperum, quo feminae utebantur, tum thymiamata et alias res ad funera necessarias, praeterea vinum; a Thracibus vestes ex ipsorum cannabe confectas. Vinum Herodotus tantum in sacris et in conviviis illis annuis commemorat, ubi fortes uno, fortissimi binis calicibus utebantur; de intemperantia nihil loquitur, nisi quod Scyles bacchabundus commemoratur, quum Graeco ritu Baccho rem faciat. Illo loco [190]) diserte Herodotus dicit Graecis talia apud Scythas opprobrio esse minimeque ab his ut recta sacra probari; non enim posse Deum invenire, quo homines ad dementiam adigantur. Id autem Graeci rursus Scythis maximo vertebant opprobrio, quod merum bibere malebant (*ἀκρητοποσίη, ζωροποτεῖν*); et qui in conviviis fortiore vino uti cuperent, pincernae clamabant: *ἐπισκύθισον.* Apud Graecos id fuit inauditum, ideoque Cleomenem quoque narrabant propter hunc morem ex consuetudine cum Scythis (Anacharside?) assumtum dementem esse factum [191]). Inde percrebruit fama de Scythica vini intemperantia; Plato aliique eam vituperant [192]); sed mox ad ipsos Graecos haec labes recurrit. Ita Eustathius quum ostenderit priscos Graecos, sobrios homines et parcos, vinum aqua dilutum bibisse, iamdudum morem barbarum ita ingruisse, *ὥς καὶ ἀγᾶνα τελεῖσθαι ἀκρατοποσίας καὶ ἔπαθλον δὲ τῷ*

πλεῖστον πίνοντι, quamquam et ipse *τὸ μανῆναι ἐκ μέθης* dicit *Σκυθικὸν κακόν* [193]. Certe Graeci ea re non fuerunt Scythis inferiores, et Alexander Magnus egregium praebet eius intemperantiae exemplum [194]. Alii alia addiderunt; ita Strabo *τὸ Σκυθιστὶ πίνειν* explicat: *πινόντων ἅμα καὶ πληκτιζομένων πρὸς ἀλλήλους, ἅμα δὲ καὶ τὰς συμπινούσας γυναῖκας* [185]. Apparet vero illam luxuriam vinique intemperantiam ad Scythas irrepsisse a Graecis Ponti accolis, de quibus ipse Strabo aliique pessima quaeque tradiderunt. Frustra sane Scythae Anacharsidem, frustra Scylem interfecerant, qui externi cultus fuerant studiosi; nec sibi constiterunt in odio adversus finitimorum languiditatem et mollitiem. Ita Graecae labis facti participes quum ne artium quidem elegantiorum ornamento tegere vitia sua possent; ipsis Graecis, non melioribus illis, politioribus tamen et cultioribus, in proverbium abiere, donec magis magisque desidentibus moribus imperioque quassato et soluto nomen Scythicum postremo vana apud fabulatores imago redditum est. Gratum tamen esse debet, quod etiam apud posteros Graecos fidei non laesae veraeque amicitiae laudem habebant, cuius insignia exempla habet Lucianus in Toxaride. Amicitiam si iungebant, uterque sanguinis sui ex brachio sauciato aliquantulum in vinum destillabat, uterque hoc epotabat [196]. Si quis fuit magnopere ab alio offensus, bovem in frusta dissectum assavit seque manibus post tergum reten-

tis in bestiae pelle posuit. Tum quicunque amicorum advenit, pede dextero pelli imposito sumtaque carnis portione auxilium se laturum promisit, quinque aut decem equites, aut si pauper fuit se ipsum pollicitus. Tali occasione amicum deserere turpissimum habebatur; eaque res videtur non magis iracundiae, quam amicitiae sanctissimae testimonium egregium [197]).

Strabo nonnulla Scythis impingit, quae ad Graecos illis tributarios pertinent, scilicet de mari latrociniis tractato aliisque fraudationibus [198]). Idem tamen dicit [199]) suis temporibus Scythas habitos esse „simplicissimos minimeque fraudulentos, tum Graecis multo frugaliores atque paucioribus rebus contentos.“ Quod vero Scythas nominat ut hospitum interfectores, maxime ab incuria vituperandus est, quum Scythas confundat cum Tauris. In eo etiam lapsus videtur, quod omnia scribit Scythis fuisse communia, adeo liberos et uxores, hoc enim Agathyrsorum proprium fuit[200]). Carne humana illos vesci Strabo auctor est; Herodotus negat, quum dicat unum tantum populum finitimum id facere, propterea cognominatum [201]); sanguinem tantum hostis potabant, quem primum interfecerunt. Talia non propria sunt crudelitatis documenta, sed omnibus gentibus incultis atque bellicosis communia. Et praeterea si Scythae voluissent male Graecos accipere, causa non defuisset, ut qui Jonum perfidia prohibiti sunt, Da-

rium cum omni exercitu quominus perderent. Ingenio lapsus etiam in eo Strabo est, quod communionem omnium bonorum caussam fortitudinis nominat; contrarium potius sequitur, si nihil habent singuli, propter quod strenue dimicent. Justinus aliter sentiens furtum maximum fuisse apud Scythas scelus tradit [202]); sprevisse vero eos aurum et argentum. „Haec continentia illis morum quoque iustitiam edidit, nihil alienum concupiscentibus." Herodotus Getas Scythis finitimos longe his saeviores describit [203]), et Scytharum prudentiam multis praedicat; illuc pertinet, quod fecerunt in terram reduces contra servos seditiosos [204]), illuc prudentissimum belligerandi contra Darium consilium, et quod finitimorum multos ad suas partes perducere potuerunt. Non exiguam eorum sapientiae famam fuisse, etiam eo apparet, quod Anacharsis perhibebatur inventor ancorae, follis et rotae figuli; et hoc quidem quamquam Strabo Homeri verbis refellit [205]), tamen potest ostendere, Scythas eos creditos esse, qui potuissent talia invenire. Aratrum quidem, quod initio regni Scythici coelo delapsum fabulabantur, ad agricolas antiquiores illic habitantes (Cimmerios) spectare videtur.

§. 26.

Scytharum de se ipsis fabulationes.

Scythae (quod mirum) se ipsi appellabant populum omnium recentissimum, et quum alii originem gentis suae per immensum spatium usque ad ultimam antiquitatem relegare studerent, Scythae se ortos dixerunt tantum mille annis ante bellum Darii (1500 a. C.) [206]. Haec tradit Herodotus; ei credendum erit, Scythas hanc habuisse sententiam; tamen fortasse in usu verbi mille omnis res posita est. Alii certe scriptores prorsus contrarium proferunt. Iustinus [207]) quasi Herodotum refutaturus dicit: „Scytharum gens antiquissima semper habita;“ tum contendentibus his cum Aegyptiis de antiquitate, in modum contraversiarum res disceptatur, Scythaeque tandem vincunt. Ita etiam Marcellinus [208]) dicit Aegyptiam gentem omnium vetustissimam, nisi quod super antiquitate cum Scythis certet; quum Herodotus hanc esse litem Aegyptios inter et Phryges referat [209]).

Gentis originem referebant Scythae ad Targitaum, Jovis ex Borysthenis nata filium; ubi Jovis (*Διὸς*) nomen profecto a Scythis non esse nominatum apparet; nominaverint vero *Παπαῖον* vel similiter. Hic Targitaus recentioribus temporibus multa passus est mirabiliora, quam quae

fortasse sua aetate ipsi acciderint. Rennelius eum facit Turk, filium Japheti, Turcarum auctorem; nec aliter statuit Hammerus; secundum quem Turk idem prorsus est, atque Targitaus, qui in Genesi (X. 3) vocetur Togharma [210]). Plane vero mihi videntur lanam caprinam carpere, qui nomen Targitai hodieque in nominibus urbium et vicorum reperire student. (Targowiza, Taratscha in gub Kiew, Tarschan in Chers. Taur., Tarczyn in Volhynia ac Podolia; haec habet Reichardus ex suo more; cur non Tarraco et similia?). Barthius porro [211]) Targitaum ad Graecorum Herculem, utrumque ad Germanorum Thor refert, et inde, si diis placet, hos Scytharum fratres vel etiam Scythas faciet. Omnes istae coniecturae fere sunt in similitudine nominum vel exigua positae; itaque, quamvis non possimus argumentis eas refellere, tamen assensionem retinebimus; atque illas auctores ipsi sibi habeant.

Targitaus ergo secundum Scytharum narrationem fuit indigena, h. e. ultimam gentis originem non habuerunt cognitam, quod sane res fert. Potest tamen etiam hic Targitaus esse a Scythis usurpatus et proprius fuisse Cimmeriis, quorum e cultu et mythologia complura Scythas sibi vindicasse, mox argumentis confirmare studebo. Targitaus tres habuit filios, Leipoxain, Arpoxaïn et Colaxaïn; horum aetate aratrum, iugum, securis et phiala, ex auro omnia, coelo delapsa

sunt; haec serius quoque diligenter asservata et velut numina habita sunt. Sed quum Herodoti adhuc aetate plurimae populi partes omnino nomades essent, quid sibi vult aratrum illud priscum? Cimmeriorum est; quos agricolas fuisse neque a politiore vita alienos veri est simillimum. — Id aurum Lipoxaïs et Arpoxaïs deinde frustra attingere conati sunt; flagravit igne, quum accederent; non vero ardens a Colaxaï sublatum est, et tum fratres regnum ei concesserunt. De quibus, quaeso, regnavit, si fratres soli fuerunt terrae incolae? Profecto non longe debet quaeri, qui sit fabulae sensus. Cimmerii sunt agricolae; tres nomadum catervae in eos impetum fecerunt, Scolotae universi appellati; harum ultima duce Colaxaï terram occupavit, caeteras secum traxit et aurea caterva facta est. Ita etiam Herodotus tradit, a Leipoxaï esse Sc. Auchatas, ab Arpoxaï Catiaros et Traspies, a Colaxaï vero Paralatas, h. e. Reges, sive Sc. regios. Itaque etiam Colaxaïs terram occupatam dividit trifariam [212]). Una pars (orientalis profecto, scil. Regiorum) maior caeteris facta; in hac etiam aurum illud asservabatur.

Si Diodoro fides habenda, alia Scytharum narratio haec est: In Asia *Ζεὺς* cum Echidna (v. infra) rem habuit genuitque Scythem; huius inter filios fuerunt fortitudine insignes Palos et Napes, a quibus singulae Scytharum partes Pali

et Napae, vel Spalaei et Napaei secundum Plinium, nominati sunt. Hi demum Tanaïde superato in Europam transiere, etiam austrum versus usque ad Nilum progressi sunt [213]). Hoc esse certe aliqua ex parte Graecorum figmentum, praeter Jovem iam nomen Scythae probare possit, qui non apud ipsam gentem valuit.

§. 27.

Graecorum commenta de Scytharum origine.

Graeci ut fuerunt ingenio suo ad condendas et novandas fabulas egregie habiles, de Scythis quoque figmenta prodiderunt veritatis haud ita curiosi, imo ne veri similitudinis quidem habita ratione [214]). Quod omnis fere res in Hercule posita est, potest ostendere, si Huellmannum audis, Phoenicum colonias, quamquam Bochartum illum in doctissimo suo opere video has in litore Ponti silentio praeteriisse [215]). Certe Graecum hunc Herculem esse nemo contendet. Boves Geryonis agit ab extrema Erythea, et in hoc itinere in terram Ponti borealem pervenit; (Quomodo hoc factum? Italiam eum adiisse credamus; Scythiam (seriorem dico) eum intrasse ridiculum). Leonina pelle sua indutus ad frigus arcendum quum dormiret, sorte quadam equae a plaustro evanuerunt. (Novum hoc, Herculem plaustro vehi). Experrectus deinde equas quae-

sivit, (num boves, laboris praemium, reliquit?), et quum in Hylaeam venisset, Echidnam semivirginem invenit, quae se reddituram equas promisit, ea conditione, ut ipsam comprimeret. Hoc facto rursus idem postulavit, postremo, se ex illo tres filios parturam vaticinata est, quaesivitque, quomodo eos partos haberet. Hercules eum, qui arcum suum ibi relictum tendere posset et ad ipsius rationem zona cum patella cingeretur, remanere iussit, caeteros ablegari. Filii fuerunt Agathyrsus, Gelonus, Scythes; hic quum patris mandata optime explevisset, in terra remansit. — Apparet in hoc primum Graecorum consuetudo, ut gentibus dent auctores viros cognomines, et gentium cognatarum auctores faciant fratres; ita potest tantum suspicio augeri, esse aliquod antiquum Scytharum cum Agath. et Gel. vinculum. Hercules caeterum, praeterquam quod eam terram adiisse fertur a Geryone rediens, etiam mirum in modum a consueta ratione abhorret. Plaustro vehitur, boum nulla fit ratio; duos habere arcus iubetur, tantum ut unum possit illic relinquere; cingulum gerit cum patella ex eo pendente, quemadmodum Scythis ipsis mos fuit [216]). — Caeterum sagittandi ars fuit vinculum, quo etiam Graecum Herculem cum Scythis coniungebant. Ut hunc Scythae iaculatoris patrem ferebant, ita rursus illum a Scythis ea arte edoctum esse putabant [217]). —

Quod Ovidius de Triptolemo canit: „Scy-

thicas advertitur oras, Rex ubi Lyncus erat," omnino nihili est [208]), commemorandus denique iterum Aristeas ille Proconnesius, qui de regionibus Scytharum et finitimorum populorum fabulosa multa, tamen non inficeta, cecinisse traditur.

§. 28.

Herodotus per se ipsum refutatus.

Quum etiam nobis, quae sentiamus de Scytharum antiquitate, in medium proferendi consilium sit, maxima vero quaestionis pars in Herodoto contineatur, non potest fieri, quin eius errores aliquos prius notemus.

1. Jam memoratum est, eum de Scythia quadrangulari loqui eamque a finitimis acute distinguere, quum tamen habeat Scythas extra illius fines. (*Σκύθαι ἀποστάντες, Σκ. Ἀμύργιοι* [219]).

2. Tauri in acte, imo promontorio tantum habitant, ita ut Scythiae fines per mediam peninsulam usque ad Bosporum pertineant. Tamen habes Tauricos montes, multo magis versus Tanaïm, scilicet ex eis fossa erat ducta in Maeotidem ad tuendam Scythiam. Hae res apud Herodotum sibi contradicentes ita fortasse conciliari poterint, ut suspiceris olim Tauros magis

ad boream pertinuisse, tum vero illis repressis nomen montibus remansisse.

3. Scythae, quantum licet coniicere, ab oriente aut certe a septentrione Cimmeriam invaserunt; ab occidente eos advenisse Herodotus auctor non est. Tamen Cimmerii ad Tyrem dimicant, tum ad orientem aufugisse Herodoto visi sunt, insequentibus Scythis. De hac re satius erit in §. 30 exponere.

4. Scythae nomades ab Hylaea et Panticape amne usque ad Gerrhum sunt XIV. dierum iter (H. IV. 19); atqui a Borysthene usque ad Maeotidem est tantum X. dierum iter. (H. IV. 101). Hoc animadvertit iam Rennelius [220]); quod vero Herodotum a vitio purgaturus lectionem mutare suadet, ut deleas (ἡμερέων τεσσέρων) καὶ δέκα, non potest probari; consensus librorum vetat. Melius erit, si omnino scriptor debet absolvi, de incertis orientis et septentrionis definitione cogitare, ita ut τὸ πρὸς ἕω sit tantum: magis ad orientem, et ἐπὶ ποταμὸν Γέῤῥον: praeter Gerrhum; quod fieri potest, quum Agricolae angustum tantam tractum, qui est ad Borysthenem, habitasse et inde nomen traxisse videantur.

5. Scythae, qui cum Argippaeis commercia habuerunt, per septem linguas iter habuerunt septemque interpretibus usi sunt. Quinam illi sunt septem populi? Melanchlaeni, Sauromatae, Bu-

dini, Thyssagetae, Jyrcae, Argippaei; etiamsi per hos omnes iter fit, tamen septima gens desideratur. Nam Gelonos a Budinis segregare non aptum videtur, Heerenius vero falso Tauros septimum ait populum, et nimirum Scythicae linguae interpretibus nihil ipsis opus fuit [221]). Tum Herodotus rursus Scythas usque ad Issedones pervenisse scribit (IV. 27), et ab his fabulam de gente illa accepisse, quam ipsi nominaverint Arimaspos.

6. De Gelonis non omnino sibi constat Herodotus, certe quae refert, conciliatione egent. Secundum Graecanicam mythologiam Gelonus fuit frater Agathyrsi et Scythae; tamen Geloni sunt τὠρχαῖον Ἕλληνες et Dionyso solemnia instituunt tertio quoque anno. (H. IV. 108).

7. Scythae ahenum habuerunt in Exampaeo tum immensum, tum mira religione, quod olim a rege suo Arianta confectum narrabant. Num credis Scythas, gentem nomadicam et praeterea novissimam (certe ibi terrarum), tale opus condidisse? γλακτοφάγοι τ᾽ ἄβιοί τε; ἀπήναις οἰκί᾽ ἔχοντες? Mihi quidem veri videtur simillimum, illud fuisse inter reliquias gentis Cimmericae et haud invitus vidi eandem esse Ritteri sententiam. Quid porro? Cimbri ab Augusto debellati quum sanctissimam ipsis rem in manus victoris traderent, quaenam ea fuit? Fuit ingens ahenum maxima religione observatum [222]). Fuit praeterea

locus illius aheni ad Tyrem in Exampaeo; illic fuerunt etiam Cimmeriorum tumuli, illic fons Herodoto memoratu dignus, fortasse et ipse sancte habitus, denique secundum Ritteri (non meam) sententiam sanctum Herculis-Buddhae vestigium. Facile autem potuit fieri, ut Graeci, fabulandi ut cupidissimi ita peritissimi, Scythas cum Cimmeriis reliquiis susque deque miscerent, imo ut ipsi victores devictorum sacra ad suam perducerent religionem.

§. 29.

ΠΕΡΙ ἈΠΙΣΤΩΝ Herodoti.

Qui Herodotum existimant scriptorem ad intelligendum facilem, magno opere labuntur iudicio; licet colligere, si accuratius eius libros tractes; pauca sunt capita, quae possint uno tenore perlegi, ubique erit scrupulus iniiciendus. In rebus Scythicis tradendis eum hic illic dormitasse supra ostendisse mihi videor; praeterea etiam laberis, si eum historiae patrem nominatum puerili tantum ratione ac simplicissima credas, quae compererit, posteritati tradidisse. Fuerunt ante eum, qui de Scythis scriberent; fuerunt etiam ipsius aetate. Princeps quasi illorum videtur Hecataeus fuisse, quocum mortuo simultatem quandam Herodotus habet. Quare, ut monuimus, tacite plerumque, acerbissime tamen in eum invehitur, pluribus locis nulla addita caussa ab

eo discedit. Cavendum omnimodo est, ne temere Herodoto fidem habeamus, eoque magis, quum caeteroquin maxima sit eius fama; cavendum vero etiam, ne sine caussa assensionem retineamus. Ita mirum potest videri, quod de servis seditiosis refert, qui Scytharum redeuntium non armis, sed flagellis victi sunt; tamen praeterquam quod Justinus idem tradit, hodieque est apud Nowgorodenses fama superstes omnibus momentis simillima [223].

Quae vero ab Herodoto allata longius paullo a veri similitudine vel etiam ab ipsa veritate recedere videntur, haec fere erunt:

1. De regionibus a Borysthene orientalibus aut incerta aut plane falsa Herodotus habet; hoc ipse confitetur, non admodum ea esse certa [224]. Itaque de Hypacyri et Gerrho narrat, qui omnino nulli sunt, quum ipse Borysthenes sit proximus peninsulae fluvius; neque tunc prorsus aliter se rem habuisse credibile est. Caesuram potius illam, qua Isthmus efficitur a latere occidentali, fluminis ostium esse credidit, vel ab aliis credentibus accepit fortasse, et quum tanta latitudo uno flumine maior videretur, duo ibi confluere putabantur.

2. Darius LX. dierum spatio iter facit ab Istro usque in terram Budinorum cum ingenti exercitu et rursus eodem redit. Quod quum per

se sit fide indignum, praesertim in Scythia debet esse, quae fluminibus partem maximis abundabat nec lignum praebebat ad faciendos pontes, quos aut prohibere aut rescindere fuit facile. Palmerius quidem Herodotum ita conatur absolvere, ut suspicetur, Darium ad tegendam belli ignominiam secundum opinionem quandam libenter Borysthenem dixisse Tanaïm esse; sed hoc plane nihil est, quum diserte Herodotus dicat eum Scythas persecutum esse usque in terram Budinorum [225]). Imo notandum insuper est, Herodotum non referre, quonam tum Scythae refugium habuerint.

3. Darius in terra Budinorum octo castella aedificare aggressus est maxima, sexagenis stadiis distantia. Quodnam regi consilium fuit? Non tam stultum eum fuisse credi potest, ut tempus tereret aedificiis ingentibus et inutilissimis exstruendis, in terra hostili, periculo undique circumdatus. Quod fundamenta superesse etiam sua aetate testatur Herodotus, non multum ad rem facit; praeterquam enim quod de illis regionibus non certum aliquid habuit compertum, non fundamenta imperfecta, sed reliquiae esse potuerunt; certe Darium auctorem esse, inde non probatur.

4. Herodotus habet Scythas agricolas et Sc. aratores, quod quomodo se habeat, minime liquet. Num Scytharum partem revera credamus agriculturae operam dedisse? vix cuiquam poterit per-

suaderi. Sed ut ita sit, quidnam est discriminis agricolas inter et aratores? (*γεωργοὺς κὶ ἀροτῆρας*?) Herodotus nomine tantum eos disiungit; nec sufficit, ut agricolas eos statuamus esse, qui terram colendam curaverint vel passi sint per subditos, aratores vero eos, qui ipsi aratrum in manus sumserint. Ita enim facile eveniret, omnes Scythas fuisse agricolas. Potius utrique sunt reliquiae Cimmeriorum, nomenque alterius vel utriusque similiter sonans Graecorum more inflexum est.

5. Quis porro est, cui videatur credibile, Vestam fuisse quasi numen Scytharum supremum, eamque reginam Scytharum esse appellatam. Hoc Herodotus Idanthyrsum regem dicentem facit; sed Graecum hominem loqui, nec veritatis magnopere curiosum, vel ipsa oratio regis ostendit: *δεσπότας δὲ ἐμοὺς, Δία τε ἐγὼ νομίζω τὸν ἐμὸν πρόγονον, καὶ Ἱστίην, τὴν Σκυθέων βασίλειαν, μούνους εἶναι.*

6. Quandoquidem IV., 17 *ἐπὶ πρήσει* est: „ad vendendum," quaerendum est, quonam modo illi Scythae, qui frumentum vendebant, suum ipsorum victum habuerint. Et praeter agriculturam eos nomadum more etiam pecoribus operam dedisse, cogitari nequit.

§. 30.

De antiquissima Scytharum historia verisimilia.

Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.
Horat.

Scytharum historia ita videtur comparata esse, ut necesse sit plurima de ea multimodis coniicere falsa rectave, priusquam quid verum sit, acri censura possit expiscari. Haec fuit causa, ut ego quoque de hac re coniicerem; censuram universam adhibere tum temporis angustiae in praesenti dissuasere, tum orientalium fontium desideratae opes. Et ut cum Cicerone loquar; „Tentemus; lusisse putemur, si nihil sit [226]).“ Caeterum in hoc fortasse feci aliquid, quod non solito more coniecturas debiles in verborum tenore clam importo ad tegendam debilitatem, sed hanc ubique in luce pono digitoque monstrare sustineo; ita tamen, ut non omnino ridicula et paradoxa sine omni testimonio veri similitudinis afferam.

1. Germanorum pristinas sedes in India aut certe in proxima ad occidentem terra fuisse, vix quisquam ex Alemberti aetate infitias ibit. (Hodieque Angli peregrinantes dicunt aliquas Cafferistaniae gentes Germanice loqui. Adde descriptionem Plin. VI, 24; famam de Odino et Asis, nomen denique Carmaniae).

2. India multarum gentium origo fuit. Itaque quum sit per se ipsum vero non absimile, etiam ad Maeotidem pervenisse Indicas colonias; multis etiam testimoniis confirmavit hoc Ritterus (Vorhalle etc.); actum agerem, si eius documenta nominarem; adde sis ad nominum similitudines: Dandarios in litore Ponti et Gandarios in ostiis Indi; tum quod hic fluvius apud accolas ipsos Sind audit. (A. W. Schlegel bibl. Ind. II, 3 p. 304. Plin. VI, 23).

3. Etiam Cimmerii sunt Indo-Germani, qui ad Ponti litus boreale migrarunt, pars vero iam pristinis temporibus in Asiam minorem. (Sinope; de Herod. v. infra). Argumenta: *Μήτηρ* culta (Maha-mai); usus aratri, quem propterea Scythas (postea Cimmeriorum dominos) invenisse Graeci pueriliter fabulati sunt; nomen denique. *Κιμμέριοι* et *Κερβέριοι*, inter utrumque medium et fortasse verissimum est *Κερμέριοι*, cf. *Γερμανοί*, *Καρμανία*.

4. Ad septentrionem illi Indo-Germani latius se extendebant; inter eos fuerunt Budinorum proavi. Budinos Germanos fuisse, multis visum est non veri tantum simile, sed etiam verum. v. supra.

5. Solis quoque cultus ex illa pristina sede ad occidentem permanavit. Massagetae — Osiris arat ad Maeotidem — *Οἰτόσκυρος* Scytharum (imo iam antea Cimmeriorum) est cognomen Dianae e

Apollinis Mithrae, (v. inscript. Gud. p. 56 n. 2). Aristeas homo maximi momenti, tamen quasi fabula factus. — Iter cultus ad Hyperboreos, tum austrum versus hinc in Graeciam (Dodona, Delphi etc. Delos), illinc in Italiam (Aristeas *φοιβόλαμπτος* Apollinem sequitur illic in Italiam; *κόραξ* — *κορ* — est soli sacrum animal; imperat Metapontinis, ut Apollinem colant; utriusque statuae famam probant).

6. Res Europae orientalis fortasse multa saecula in statu suo remanserunt; tum vero motus exorti inter nomades interioris Asiae. Sacae (h. e. potentes) impetum facere inceperunt in fines Persarum, qui ab illis audiebant Chorsari (i. e. solis cultores). Sacae fortasse a Persis appellati sunt *Ἀμύργιοι*, quod Sanscrite significat marcales. Scythae a Graecis dicti sunt propter communionem morum (et originis) cum Scolotis, qui et ipsi Graecis Scythae fuerunt.

7. Scolotorum nomen est quidem proprium, tamen ex appellativo factum, quum significet Reges; potuit vero complures gentes amplecti. Harum ex numero ab Araxe (i. e. Volga) [227]) c. annum 700 a Chr. nonnullae Europam versus iter fecerunt. Nominantur singillatim Auchatae, Traspies cum Catiaris, Paralatae, quorum ultimi duce Colaxaï feliciter Cimmerios aggressi terram occuparunt, caeteros secum traxerunt et deinde aurea caterva (Sc. regii) erant.

8. Cimmerii intestinis dissidiis exortis resistere non potuerunt. Pars superato Tyre (tumuli) occidentem et septentrionem versus iter fecit et evanuit, donec Cimbrorum nomine (alienum Augusto traditum) praediti se cum Teutonibus antiquitus cognatis coniunxerunt et Romae exitium minati sunt. Cimmerios orientem versus aufugisse Scythasque eos insecutos in Mediam pervenisse, Herodotus tantum colligit errore inductus (φαίνονται, φανεροί ἐισι IV. 12), quum litus Ponti boreale antiquitus Scythiam fuisse credat, neque aliter irruptionem Scytharum in Mediam, et Cimmeriorum sedes in Asia minore explicare possit.

9. Etiam ab occidente immigrationes factae (Hercules); tres catervae, quarum una (Scythae) fortissima terram intrat; Agathyrsi ad fines remanent; Geloni, magnam partem Graeci (incertum quomodo) longius secedunt usque in terram Budinorum Indo-Germanorum. Fortasse etiam barbarorum invasione Graeci Ponti accolae ad boream cedere coacti illuc sedem transtulerunt. (τὠρχαῖον Ελληνες, solemnia Bacchi IV, 108). Urbem magnam incolebant et a Budinis discernuntur, qui magis fuerunt barbari [218]). Aut si mavis, Cimmeriorum pars ad Budinos cognatos perfugit, et cum eis Graeci aliqui ad Pontum incolentes.

10. Getae quoque fortasse iam ante 700 a Chr. sedes moverant ex superiore Asia; pars per Cimmeriam profecti superato Istro in Thracia conse-

derant; hi priscam virtutem Dario exhibuerunt, et crudeliter quinto quoque anno homines mactabant (Her. IV. 94). Remanserunt Massagetae (non Scythae), qui post Christum demum occidentem tentarunt; tum Thyssagetae, Tyragetae, Myrgetae, Matygetae alii.

11. Cimmerium nomen mansit castellis, Bosporo; praeterea Herodotus habet *πορθμήϊα Κιμμ.* et *χώραν Κιμμ.*; gentis nomen interiit, tamen ipsa non omnis videtur in illa terra evanuisse. Fuit adhuc Herodoti tempore ahenum illud ingens in Exampaeo, quod non Scythicum fuisse apparet; fuerunt tumuli Cimmeriorum ad Tyrem integri. Non possum mihi temperare, quin putem Scythas agricolas et aratores vel certe hos fuisse Cimmerios superstites in pristina terra, Scythis tributarios. Agricolae illi, quum ab aratoribus distinguantur, vel ex ratione supra allata (§. 29, 4) iudicandi sunt, vel Graeci habendi cum Voelkero [219]). Ea pars quasi non proprie Scythia esse credebatur, quare Gobryas apud Herod. (IV, 97) omnem gentem vocat nomades, terram vero incultam. Illuc etiam referam, quod Neuri *μιῇ γενεῇ* ante Darii bellum a serpentibus (h. e. indigenis; quìnam illic tot serpentes fuerint?) expulsi ferebantur; haec fortasse fuit seditio Cimmeriorum subiectorum, quibus res prospere successit.

12. Confundebantur illa duo elementa in Scythia, Indicum et Mogolicum, sive quod idem est,

Germanicum et Slavicum. Graeci omnem terram appellabant Scythiam, incolas susque deque Scythas; devictorum nomen nonnullis tantum reliquiis mansit. Tamen multae res religiosae, etiam nonnulla vitae instituta a devictis ad victores permanarunt, quod solet fieri, si populus barbarus gentem politiorem et cultiorem sibi subiicit. Ita potest illa difficultas expediri, quod nonnulla Scytharum numina et sacra fuisse feruntur, quae omnino non possunt ad eos proprie pertinuisse; illuc referenda Scytharum regina Vesta, fortasse eadem cum Matre, illuc regiorum Neptunus, illuc Venus Caelestis, cuius templum in Syria conditum Scythae ipsi violaverant; (et nomen Artimpasa fortasse cum Germanorum Hertha coniungendum est); illuc denique ahenum illud cum finitimo Exampaeo, fonte (et vestigio Herculis). Graeci praeterea nimis officiosi multa ex mythologia Cimmeriorum ad Scythas transtulerint, de quibus hi ipsi ne cogitaverint quidem; ut fabulam de Targitao autochthone et de auro illo, quod coelo delapsum ferebant sub eius filiis.

13. Sacra scriptura Scythas novisse videtur saeculo a. Chr. sexto, ut Genesis et Jeremias; sed haec fusius persequi in praesenti alienum ab instituto nostro est.

14. Tauros esse posteros vel reliquias Cimmeriorum, frustra probáre Gattererus studuerit [230]), quamvis assentiente Heerenio [231]). Aeschylum

(Prom. 420. 716) quasi testimonium rei afferre videtur ridiculum.

15. Temere Ritterus [232]) Agathyrsos, quos Sarmaticam gentem dicit, cum Idanthyrso confert, et Thyssagetis; quis enim non novit Graecorum consuetudinem declinandi nomina externa ad similitudinem linguae vernaculae. Ita θύρσος quaerebatur in nomine regis, qui tamen vocatus est praeterea: Indaturus, Jancyrus (Justin. II. 5), Scytharces (Ctes. 17; omnimodo falsum), Antiregyrus, (Jornand. Goth. 10 cf. Salmas. ad Solin. p. 846. A. 1).

§. 31.

Scythae extra Scythiam Herodoteam.

Cyaxare regnante Scythae impetum in Mediam fecerunt omnemque superiorem Asiam occuparunt; post duodetriginta annos a Cyaxare expulsi occidentem et Caucasum versus cesserunt. Item in Schah-nameh poëmate Persico Keikaw rex a Turaniis (i. e. gentibus septentrionalibus) tamdiu in arce lapidea inclusus tenetur [233]). Quod hunc impetum Scytharum eundem fecere aliqui cum irruptione Chaldaeorum, minime mihi quidem probatur, quamvis sint haec eodem fere tempore facta [234]). Larcherus (in tab. chronol. ad Herod.) illam Scytharum incursionem, dominationemque

Asiae ponit a. 633—605 a. Chr, Volneius (in chronol. Herod.) 625—598. Ninum Cyaxares recepit secundum Larcherum a. 603, secundum Volneium a. 567. Bayerus (in conspectu chronologico p. 143) dominationem ponit a. 637—610 a. Chr.; ita ut inter hanc et Volneianam definitionem Larcheriana fere media sit. —

Herodotus fabulis fortasse inductus praeiudicaverat Scythiam suam antiquitus fuisse Scytharum terram. Itaque narrat (quod nemo credet) eos a Ponto et Maeotide relictis feminis et servis Asiam superiorem petiisse, quum tamen ipse dicat (nihilo credibilius), in persequendis Cimmeriis eos in Asiam irrupisse falsos itinere. Utrumque ab Herodoto fictum manifeste est, et ne speciem quidem veritatis habet. Quum Scythae Cimmerios (licet omnes) expulissent, quomodo eorum interesse potuit, ut hi penitus delerentur? cur non terram quiete occuparunt? Quae porro tanta fuit causa, ut per 28 annos terram modo occupatam feminasque cum servis negligerent? Facilius mihi persuadeam, fuisse alios Scythas a novis catervis suppressos; imo satius etiam erit, illos spurios omnino Cimmerios habere, qui servorum filii nominati sint propter ignaviam in repellendis advenis. Herodoto certe adhibito tantum iudicio potest fides haberi, ita profecto, ut non prorsus credamus, sed ut totam eius rationem spectemus. Argumento sufficit, quod illam Cimmeriorum ex-

pulsionem (et Scytharum persecutionem) obscura tantum fama se novisse profitetur et propterea coniectura sibi opus esse putat. Servorum proles per ignominiam dicti sunt Cimmerii; ignavia eorum significatur etiam eo, quod non armis, sed equorum flagellis vincuntur. Scythae vero ab oriente et Tanaide venerunt, itaque illa fossa ad eos arcendos potuit facta esse. Hanc Plinius et Strabo ad Isthmum fuisse dicunt [235]), Mela quoque addit: „quod inter paludem et sinum est, Taphrae nominatur;" Herodotus vero illic eam ponere non potuit, quum nullum haberet Isthmum, aut omnino nulla certa ratione de illis rebus cogitaret [236]). Hoc inter alios rectissime videtur Reichardus suspicatus esse, nec potest aliter esse, si quis Herodoteam Maeotidis imaginem perpendat [237]).

Bayerus alteram Scytharum catervam, quae a Cyaxare excepta est, partem universi agminis facit, seditione reiectam. De chronologia vix quaeri poterit, tamen puto hanc fuisse alteram, quae paullo post Ninum recuperatam a Cyaxare, a septentrionalibus nomadicarum gentium sedibus descendit, a Medis bene habita; tum vero propter scelus commissum expulsa ad Alyattem confugit bellique caussam praebuit [238]). De rapinis eorum, de institutione filiorum Cyaxaris et de coena Thyestea huic apposita ipse Herodotus viderit.

Scythae (quod reliquum est) ferebantur etiam ad meridiem processisse usque ad Aegyptum, qua

in re cogitandum est ante omnia, quod Scytharum nomen a Graecis tantum tribuebatur certis quibusdam aut etiam incertis populis borealibus. Quare illi Scythae, qui in Syria delubrum Veneris antiquissimum violarunt, quique Aegyptum adorti a Psammeticho pecunia aversi sunt, tantummodo gentes sunt boreales; quae vero his fuerit cum Scythis propriis in terra quadrangulari incolentibus coniunctio, non patet; fortasse nulla fuit, quam similitudo quaedam morum et victus. Si Herodoto fides, Psammetichi aetate ille impetus factus est, h. e. circa a. 650 a. Chr., itaque ante dominationem Scytharum in Asia superiore, etiam ante occupationem Cimmeriae. Quam Ptolemaeus habet Scythicam regionem in terra Goniatarum et Prosoditarum, profecto est Scyathica ab urbe Scyathi nominata [239]. In Palaestina fuit Scythopolis adhuc Polybio [240] commemorata (Σκυθῶν πόλις), olim Bethsan sive secundum Zonaram Methora, secundum Plininm Nisa a Baccho condita [241]. Fuisse ergo iam ante Scythas eam urbem apparet; utrum autem revera Scytharum coloni nomen ei dederint, an ex similitudine aliqua id nomen fluxerit, parum liquet. Pariter olim Napem et Palum, Scytharum principes, usque ad Nilum progressos esse, Diodorus auctor est; sed hoc in superiorem antiquitatem relegandum foret, quum uterque dicitur Scythae filius; nisi omnino impenetrabili caligine illa res esset offusa [242]. Scythopolis est nomen Graecum, ne-

que quidquam potest probare, quum Herodotus et alii homines Graeci curiositatem magis, quam severam criticam respicerent.

Haud minus obscurum est, quod contrario itinere Sesostris ferebatur non Scythas solum aggressus esse, sed per eorum terram Thraciam quoque invasisse. Haec Herodotus refert [343]; addit insuper, sua aetate superesse in Thracia columnas testes praesentiae Sesostris. Columnae sane ibi fuerint, tamen Sesostris propterea non est earum auctor; et porro, quis aut quando fuit ille famosus Sesostris? ne nomen quidem eius constat [244]. Verissimum fortasse in hac re est, quod Tacitus habet: Rhamsen Aegypti regem Scythas invasisse, tamen profecto non in Scythia quadrangulari sive ἀρχαίᾳ Herodoti, ut qui tum nulli fuerunt, sed ad Mediam et Bactrianam [245]. Justinus et Diodorus [246] habent sane quaedam peculiaria, non tamen ii sunt, quibus credas. Porro Isocrates in panegyrico ut rem certissimam et illustrem praedicat, paullo post Eumolpum Scythas cnm Amazonibus Athenas invasisse. Quid in hac re de veritate statuendum sit, non video; fuit vero illa fama admodum vegeta. Tegeatae gloriabantur, se adversus Amazones in Attica certasse [247]; praeterea notissima est illa fabula de Theseo et Hippolyta, quae etiam Megara venisse dicitur [248]; Antiopes fuit prope Athenas et monumentum et spelunca [249]. Probare Amazonum adventum hae res non possunt, et quomodo Scy-

thas advenisse credamus sine testimoniis? Tamen quod rursus Theseum ferebant cum Hercule contra Amazones profectum esse in Asiam minorem et Hippolytam illinc secum duxisse, fortasse suspicionem iniicere non nequit, fuisse aliquam priscam Atticae cum Ponto coniunctionem. Si vero diserte dicit Iustinus, Athenienses Amazonibus bellum intulisse, hasque a Sagillo Scytharum rege adiutas esse, omnis assensus erit retinendus [250]).

Denique Hesychius Milesius ait Odrysen, Scytharum regem, contra Byzantem profectum esse usque ad moenia Byzantii; quod quum sit ex Eusebii rationibus conditum Ol. XXX, 3; illa expeditio ponenda est intra annos a. Chr. 650 et 630; fere eodem tempore cum occupatione Cimmeriae et cum impetu in Aegyptum adversus Psammetichum.

§. 32.

Bellum Darii.

Caussam Herodotus fuisse ait, quod Darius Scythas ulcisci propter impetum olim in Mediam factum voluerit; Justinus, eum bellum Jancyro intulisse, quum filiae huius nuptias non obtinuisset [251]). Utrumque ad summum praetextus esse potuit; vera causa fuerit regni augendi cupiditas; fortasse etiam Cyri quaedam aemulatio Darium instigavit, ut in Europam traiiceret, et Babylone

capta bellum Scythis pararet. Singulis provinciis vel copias pedestres, vel naves ornandas vel pontem in Bosporo Thracico faciendum imperavit. Frustra Artabanus regis frater, dissuadere tale inceptum conatus est: illic terrarum nihil praedae, nihil quaestus, maxima vero pericula omniumque rerum inopiam fore [253]). Quam acriter rex incepto suo intentus esset, crudeli nece filiorum Oeabazi satis superque exhibuit. Susis castra quum movisset, Asiam totam usque ad Bosporum Thracicum pergressus est. Calchedonem, Bithyniae urbem, quum venisset, insulas Cyaneas ipse advectus in Pontum vastum prospexit eiusque magnitudinem admiratus est, dum pons in Bosporo quattuor stadiorum a Mandrocle Samio perficiebatur [254]). Ad Bosporum duas columnas lapide albo exstruxit, quarum alteri Assyriis, alteri Graecis literis nomina gentium belli participum incidenda curavit [255]); fuerunt praeter navales copias DCC. millia peditum et equitum, sexcentae insuper naves [256]). Mandrocles summa cum largitione donatus tabulam pinxit, (Darium cum exercitu in traiiciendo freto), eamque in templo Junonis Samiae dedicavit cum epigrammate [257]). Jones, Aeolenses et Hellespontii cum navibus suis praemissi, ut pontem in Istro facerent; hi advecti ostia fluvium intrarunt ad duorum dierum iter, tum imperata fecerunt regemque exspectarunt. Is Thraciam ingressus ad Teari fontes trium dierum quietem agmini dedit et fluvii

amoenitate magnopere delectatus columnam cum insigni eius laude suique gloriatione statuit [258]. Tum in Odrysas ad Artiscum flumen progressus monumentum exstruxit, ingentem lapidum acervum. Qui gente Thraces Salmydessum incolebant, deinde supra Mesembriam et Apolloniam qui Syrmiadae et Nipsaei dicti sunt, ultro se in fidem regis regum dederunt; Getae fortiter repugnantes vi subiecti sunt. Fontem in Istro factum transgressus primum rescindere voluit, tamen Coë Erxandri filio Lesbio dissuadente, Jonibus praesidium tradidit, loroque sexaginta nodis implicito per singulos dies unum solvere iussit; solutis omnibus si ipse non advenisset, domum redirent; interim pontis curam haberent [259]).

Scythae appropinquante Dario finitimorum auxilium petunt: non sibi solum, sed illis quoque periculum imminere maximum, ideoque omnes coniunctis viribus ut resisterent [260]). Conveniunt reges Taurorum, Agathyrsorum, Neurorum, Androphagorum, Melanchlaenorum, tum Gelonorum, Budinorum, Sauromatarum; hi tres tantum auxilio se fore promittunt, caeteri negant; Persam a se nulla iniuria affectum ne ipsos quidem laesurum esse. Omnis haec narratio et ratiocinatio Herodoti est, ut dixi (sub nota proxima), nec veri habet similitudinem. — Tum Scythae puteos explent, fontes obruunt, pascua delent, vasis collectis in duas partes discedunt. Una ut Scopasi

duce ad Sauromatas profecta cum his praeter Tanaïm iter faceret, revertenti vero illi instaret. Altera pars (regii Sc.) ducibus Idanthyrso et Taxaci ut cum Budinis et Gelonis Persae unius diei spatio cederet, eum porro illiceret in terram gentium finitimarum easque ita faceret belli participes. Feminas et infantes cum pecoribus et impedimentis praemittunt septentrionem versus (h. e. ad Budinos etc.; v. supra). Equitum velocissimi in excubiis statuti delere omnia, Persis usque loco cedere, Tanaïde superato ad Budinos migrare. Insecuti Persae horum moenia lignea invenere deserta atque evacuata; crematis his in desertum persequi profugos pergere. Ad Oarum fluvium Darius subsistit et octo ibi castellorum fundamenta ingentia iacit intervallo sexagenorum stadiorum (v. §. 29, 3); Herodoti aetate superesse illa ferebant. Haec castra Scythae a parte boreali circumgressi ad austrum iter inflexerunt et in terram reverterunt. Darius omnes evasisse ratus, nunc imperfectis castellis occidentem versus profectus est, ut eos persequeretur [261]). Duo illi Scytharum duces terram Melanchlaenorum, Androphagorum, Neurorum invaserant; Agathyrsi bellum minati eos arcuerant [262]). Tantis contentionibus tantisque per loca asperrima itineribus defatigatus Darius Idanthyrsum provocavit, ut aut proelium consereret, aut foedere icto ipsum dominum haberet [263]). Ille nullam esse pugnandi caussam respondit; sin vero

auderet patrios Scytharum tumulos aggredi, tum se patribus non defuturum. Dominum se credere solum Jovem, a quo sit, Vestamque Scytharum reginam [264]. — Scopasis delegatus ad Jones pontis custodes, frustra eos ad libertatem revocare studuit; pontem tuebantur. Reliqui Scythae Darii agmen itineribus defatigatum omniumque rerum inopia exhaustum crebro impetu lacessebant; saepe cum Persarum equitatu certamina miscentes, semper superiores evaserunt, fugatos ad pedites persecuti sunt, tum vero propter equos insueto asinorum et mulorum sono perterritos redire coacti. Sponte Persis victum relictis ovibus ministrabant, sperantes fore, ut Jones deficerent; praeconem cum avi, mure, rana et sagittis ad Darium miserunt [265]. Haec rex (si Herodotum audimus) stulte, Gobryas acute interpretatus est [266]; hic quam recte senserit, Darius mox expertus est suo malo. Quin Persae iam omni opera reditum essent quaesituri, non amplius Scythis dubium esse potuit, itaque rem quasi contra hostem iam victum gesserunt et vel hoc praesente leporem sectati sunt. Quae securitas regem valde perculit; hortante imprimis Gobrya, de reditu et ipse cogitavit. Asinorum sonitus terrarum domino fugam tutam reddidit; nocte ad Istrum aufugit relictis aegrotis et sauciis. Hos mane Scythae quum invenissent regemque evasisse comperissent, continuo universi cum sociis insecuti sunt; Persasque (maximam partem pedites viaeque igna-

ros) anteverterunt ei, qui fuerunt ad pontem praemissi. Ibi frustra Miltiades Athenienses pontem rescindere iussit, Histiaeus Milesius rem prohibuit; Scythis tamen id factum iri promissum est, et speciei caussa pars pontis rescissa. Graeci omnia se in gratiam Scytharum facturos polliciti Scythas cohortari, ut Darium persequerentur interea, perderentque cum exercitu. Illi verbis fidem habentes, Persas scrutati sunt; quum vero regiones vacuas fontibus et pascuis praetereundas putarent, Persae per has eadem qua venerant via celeriter evaserunt ad Istrum. Ita error tantum Darium ab interitu servavit; is quum pontis partem videret rescissam, iam traditione facta sibi interclusam salutem putavit. Tamen Histiaeus per Stentorem quendam Aegyptium advocatus extemplo reparato ponte navibusque missis exercitum traiecit. Darius LXXX. millia hominum perdiderat [267]), „quae iactura abundante multitudine inter damna numerata non est;“ Scythis vero tum patuit mala Graecorum fides; inde hos esse *ἀνδράποδα φιλοδέσποτα καὶ ἄδρηστα μάλιστα* suo iure credebant [268]).

§. 33.

Scytharum historia post Herodotum.

De insequenti tempore Herodotus nihil tradit praeter exitium Scylae, filii Ariapithis. Is si

cum Aripithe illo Timnis domino idem fuit, aequalis Herodotus fuerit. (c. annum 455 sec. Bayer.) Hic ex muliere Istriana natus, ab hac Graecorum moribus institutus quum patri a Spargapithe Agathyrsorum rege interfecto successisset, patrios mores aspernatus est. Borysthenis emporium adibat et relictis in suburbio sociis Graeco ritu operabatur, totos menses ibi morabatur; uxorem quoque inde duxit. Aliquando tamen quum Dionyso Baccho sacra esset facturus et ne palatio quidem caelesti igne concremato absterreretur, Scytha quidam clam illatus a Graeco, rem patefecit. Scythae fratrem Octamasadem regem crearunt; Scyles in Thraciam fugit ad Sitalcem, tamen fratri traditus capite poenam luit [269]. —

Hactenus, ut Bayeri verbis utar, Herodotus nonnulla certe fercula nobis apposuit; iam vero de symbolis edamus oportebit.

Belli Peloponnesiaci tempore magnam Scytharum vim fuisse et vel omnium populorum maximam, Thucydides testatur; laudat eos a fortitudine et prudentia in belligerando; tamen dilapsos eos quasi significat. Addit Xenophon, Scythas aliam gentem subigendi non habere potestatem (v. supra §. 8). Tum vero ad Philippum Macedonem descendendum nobis erit, qui in Scythiam praedandi caussa profectus est, impensas obsidionis Byzantii inde refecturus [270]. Tunc rex

Scytharum Atheas sive Atias fuit, bellumque cum Istrianis habuit et cum Triballis [271]). Quibus imparem se sentiens per Apollonienses Thraces cum Philippo egit de auxilio ferendo, in spem mercedis proposita adoptione et successione in regno Scythico. Interim secunda usus fortuna, strategemate quodam Triballos repulit, legatosque Philippi cum contemtu acceptos huic nuntiare iussit, se neque petiisse auxilium tam cupide promissum, quum Scythae suis armis atque viribus hostes propulsare assueverint, nec de adoptione cogitasse filio incolumi. Philippus ad haec dolose simulavit se statuam Herculis vovisse ad Istrum exstruendam; Atheas vero hanc sibi tradi iussit; se eam ponendam illic curaturum et tutelam insuper praestiturum esse; exercitum vero ut finibus abstineret. Mox orto manifesto bello proelium ad Istrum commissum; Scythae et numero et virtute superiores tandem astu Philippi in fugam conversi; vicies mille pueri feminaeque capti, pecoris vis magna, auri et argenti nihil; viginti millia nobilium equarum ad genus faciendum in Macedoniam missa. Hoc bellum ante Alexandrum natum (ante a. 356) fuisse Bayerus temere suspicatur; Justinus tamen et ipse paullum a veritate aberrat, quum Alexandrum tunc dicat octodecim annos natum fuisse. Inde hoc bellum foret a. 338, quo tempore Philippus rebus Graecis nimis fuit intentus, quam ut cum Scythis belligeraret. Fortasse

vero ex eo tempore in Graecia Scythici servi esse coeperunt, Macedonico videlicet bello capti. Contra Atheas quoque Graecos habuit servos, in his Ismeniam tibicinem [272]). — Quod porro Arrianus in expeditione Alexandri de Scythis Europaeis eorumque finitimis habet, videtur potius de sua ipsius aetate dictum esse. Idem auctor est ad Alexandrum venisse legatos *τῶν Σκυθῶν τῶν Ἀβίων καλουμένων* etc. (v. §. 15). Nihil porro opus est, quod Bayerus suadet, ut ab Alexandro usque ad Mithridatem Eupatorem ducentos annos veluti deserta Scythica et inculta tesqua omittamus; — est quod animadvertas.

Qui fuerunt amplius mille equites Scythici in exercitu Darii ad Arbela, Sacae fuerint [273]); item ei, contra quos Alexander movit, Sogdianis finitimos [274]); nec non ei fuerint, qui Alexandri ducem Sopyrionem cum copiis universis (XXX millibus) deleverunt [275]), nisi forte hos credas gentes superioris Asiae esse, circa Mogoliam. — Haec fuerunt circa a. 327.

Deinde a. 313 (Ol. 116, 4) Callatii [276]) Thraces et Istriani cum aliis quibusdam Thracibus et Scythis societatem fecerunt adversus Lysimachum. Hic quum Haemo superato Odessum cepisset et Istrianos pacasset, contra Callatios movit, quibus Thraces et Scythae magnis cum copiis succurrerunt. Caeteros ad suas partes perduxit, Scythas magna clade affectos usque in terram ipsorum persecutus est [277]). Callatii ab Antigono adiuti

et cum Seuthe coniuncti mox rebelles facti; Scythae domi manserunt quieti, neque amplius magni momenti fuisse possunt, quum Bosporanorum regum potentia in dies cresceret. Tum a. 310 (Ol. 117, 3) mortuo Parysade Bospori rege quum inter filios Satyrum et Eumelum de regno certamen esset, hunc Ariopharnes Thracum rex cum XXII millibus peditum et XX mill. equitum tuebatur. Satyri vero copiae praeter duo millia Graecorum mercenariorum totidemque Thracum fuerunt XX pedites Scythici et X millia equites eiusdem gentis. Cum his Psathim superat [278]; curribus arcem exstruit, pugnamque capessit, ipse Scythico more mediam actem tenet, equitatum Ariopharnis tandem in fugam agit; sequitur etiam reliquum agmen. Frustra tamen parata haec victoria, nam Satyrus mox in obsidenda regia (ad Psathim) moritur [279]. Tum Prytanis frater natu minimus rex creatur a sua factione, mox vero fugatur et moritur. Qui reliquus est, Parysades Satyri filius ad Agarum Scytharum regem fugit, tamen is nihil molitur, et Eumelus populo beneficiis devincto certum regnum possidet [280]. Scythae deinde liberi mansuerunt, quae vero ratio eis cum Bosporanorum regibus fuerit, parum liquet. Mithridates Eupator, qui Magnus dicitur, multas Scytharum gentes sibi subiecit [281]) bello strenue per triginta fere annos gesto; donec senex cum Romanis in certamen ultimum descendit. Secundum Strabonem [282]) mixti tum illic Graeci cum Scythis fuerunt et his vectigales. Maxime Cher-

sonesitae a barbaris vexabantur; paene oppressi Mithridatis opem implorarunt, qui ad eos duces imprimis duos, Diophantum et Neoptolemum misit cum exercitibus. Hi feliciter contra Scythas eorumque socios vel partem gentis Scythicae, Roxolanos, rem gesserunt [283]). Scythae ad Ctenuntem urbem quum extrema tentassent, ab ea depulsi denique Chersoneso cesserunt [284]). Inter Bosporanos deinde et Graeci et Scythae sunt; utrique Mithridati annua tributa dependebant. Huic bello cum Romanis exorto, praeter caetera Romani imperarunt, ut Scytharum regnum in integrum vestitueret. Rex vero nullam eius rei habuit rationem, sed Scytharum quoque reges in agmine suo duxit [285]); fuit hoc a. 89 a. Chr. Non plane Scythas ei subiectos fuisse inde colligitur, quod Mithridati post clades a Lucullo acceptas auxilium denegarunt [289]). Etiam Appianus eos significat non magnopere Ponticis regibus fideles [287]). Deinde quum septem annis post mortem Mithridatis (a. Chr. 57) Getae ab occidente incursionem fecissent, et Boerebistes eorum regnum sanequam restituisset, horum nomen mox effecit, ut Scythicum evanesceret. Asander adhuc, qui apud Caesarem Augustum gratiosus fuit, Bosporanorum princeps, Isthmum muro cinxit adversus Scytharum incursiones [288]). Suetonius quum Augustum scribat Scythas et Indos pellexisse ad suam amicitiam, Scythas dicit Asianos; Horatius vero poëtica licentia usus Augustum contra Scythas

bellum gessisse dicit [289]). Quod vero Justinus dicit: Romanorum audivere, non sensere arma [290]), cogites proprie esse Trogi Pompeii verba. Mox veri est simile Sarmatas ad occidentem impetum fecisse, quum Plinius Sarmatas et Scythas habeat ad Istrum incolentes [291]), hos Areatas dictos. Neque amplius certa Scytharum vestigia invenies, ut vel ipse Plinius nomen eorum iam usquequaque in boreales gentes transiisse dicit. Itaque nihil est, si e. g. Huebnerus ultimum Scytharum regem Ungham dicit occisum esse a seditioso quodam, qui tum se Dschengis-Khan appellaverit et Tataricum regnum condiderit. De Scythis Asiaticis quaecunque innotuerunt, manserunt quasi stereotypa; Europaei evanuerunt. Ptolemaeus, serior is geographus, pone Sarmatiam nominat Scythiam divisam in Sc. intra et extra Imaum, sed ne huius quidem discriminis ulla apparet utilitas [292]).

Europaeorum Scytharum vim ita hebetatam fuisse iam multo ante mediam aetatem apparet, ut hos nescio an non possis tot gentium Slavicarum sive Germanicarum (secundum alios) facere auctores. De Asiaticis eorumque migrationibus admodum intricata est quaestio, quam equidem supersedeo; rem enim profligandi nec spes in principio, nec consilium fuit. Quae institueram, non perfeci quidem, tamen absolvi; et si non utroque pollice lauder, id tantum appetivi temporis angustiis undique pressus, ut aequus index diceret: Sunt bona, sunt quaedam mediocria, neve addat: sunt mala plura.

N o t a e.

1) Bayerum audis. Opuscula, ed. Klotz. p. 63. Inest illa viri doctissimi de Scythis commentatio etiam in Commentt. Acad. Petropol.

2) Bredovii hist. ant. p. 198. Nieb. in libro: Kleine vermischte philolog. und histor. Abhandl. 1828. p. 353.

3) Bayeri opusc. p. 66. sqq.

4) cf. sis Pausan. Att. X., 31. At in Diod. Sic. V., 74 pro τόξον Σκυθικὸν legendum est Κρητικόν, ut legimus Polluc. I., 149. cf. Bochart. de Phoenic. colon. I., 15, p. 423. Wesseling. ad Diod. l. c.

5) Caeterum ut hanc rem profligemus, monendum est de στοᾷ Σκυθικῇ, quam Syracusis fuisse legimus ap. Polyb. III., 5, 2. Etiamsi statuamus Scythas olim pervenisse in Atticam (v. infra), tamen in Siciliam usque eos traiecisse nemo erit qui suspicetur. Nec propter alias causas illam porticum ita nominatam puta; est potius στοὰ Τυχική, et distinguitur (monente Schweigh.) ab altera, quae fuit Achradinae. (Cic. Verr. IV., 53). Τύχη vero Dorice est Σύκη vel Συκῆ (?). Thucyd. VI., 98, ex quo illa στοὰ Σύκική mutata est in Σκυθική.

6) Hammer. in Annal. Vindob. IX. p. 43.

7) cf. Baehr. ad Ctes. fragm. p. 96. 97.

8) Σκολόται — Sklow (in gubernio Mohilew), Sokolow et Sokolowka. Παραλάται — Pereaslawl. Κατίαροι — Cadom (in gub. Tambow), Cady (in gub. Kostroma), Cadnikow (in gub. Wologda. Τράσπιες — Trasna in gub. Kaluga).

9) Bayerus l. l. p. 75.

10) Huellmann. in libro: Anfänge der griechischen Geschichte I., 2. ff.

Nota 11—29.

11) Olymp. 47. a. Chr. nat. 592. Ita Bayerus in conspectu chronologico. cf. Diog. La.; Fabric. bibl. Gr. II, 8 p. 371, XXIII., 6 p. 812.

12) Herod. IV., 76.

13) Herod. IV., 77. Ita fortasse melius vertes, quam: discipulus; nam Scytharum regem, patriorum institutorum tenacissimum illum, misisse fratrem in Graeciam propter literarum studia, cuinam videatur probabile? Nec hercle Lacedaemonii ea re maxime gloriari poterant.

14) Scymn. Chius fragm. v. 119.

15) Aelianus de Hannone illo agit Var. Hist. XIV., 30. Epistolam habes Graece, ap. Clem. Alex. strom. I. p. 464, et Latine versam ap. Ciceronem Tuscul. V., 32 („epistola fertur his vercis)."

16) Omnia fere de hoc viro prodita collegit Schultze specim. appar. in annall. p. 4 not. 9. Fabric. bibl. Gr. I. p. 10.

17) Strabo XIII., 1. p. 286, Tzsch. cf. Aul. Gellius noct. IX., 5.

18) Jamblich. vit. Pythag. c. 28, p. 293 ed. Kiessl. Quantum Graecorum fuerit studium coniungendi homines antiquitatis excellentes ingenio, multis antiquissimorum praecipue poëtarum exemplis manifestatur. Ita Zalmoxin quoque, Getarum daemonem, fecerunt Pythagorae servum, et Herodotus ita sentit IV., 95: *οὔτε ἀπιστέω, οὔτε ὦν πιστεύω τι λίην.*

19) Strabo XIV. p. 528. Tzsch. cf. Eustath. ad Il. II., 250. Fabric. bibl. Gr. I., 12. Voss. Hist. Gr. IV., Pausan. I., 124. V., 7.

20) Porphyr. de abstin. IV., p. 309, ed. Lugd. 16, 20.

21) Strab. VIII., p. 471. Ptolem. III., 10. Plin. IV., 12, 26. Klausen. ad Hecat. p. 87.

22) Scylax fr. 70, Klaus. p. 31.

23) Hecat. Klaus. p. 91. Ptolem. V., 9.

24) Hecat. ap. Steph. Byz. Klaus. p. 92. Hi Issedones fortasse sedes mutarunt.

25) Plin. VI., 7, eos ponit ad Maeotidem in confinio Colchorum.

26) cf. Herod. III., 102, IV., 44.

27) Schol. Apoll. Rhod. IV., 284: *Ἑκαταῖος δὲ* (Milesium puta) *ἱστορεῖ μὴ ἐκδιδόναι ἐς τὴν θάλασσαν τὸν Φᾶσιν οὐδ' ὡς διὰ Ταναΐδος ἔπλευσαν, ἀλλὰ κατὰ τὸν αὐτὸν πλοῦν καθ' ὃν καὶ πρότερον, ὡς Σοφοκλῆς ἐν Σκύθαις ἱστορεῖ.* Non videtur hoc intelligi posse, nisi *θάλασσα* scholiastae est Oceanus, nam quod Hecataeus negaverit Phasin in Pontum exonerari, non est credibile.

28) Hecat. Klaus. p. 89.

29) ibid. p. 87. Contra Herodotus magnopere conten-

Nota 30—56.
dit Melanchlaenos non esse Scythas, IV., 107. v. infra. — Caeterum in tabula editioni Hecataei Klausenianae adnexa Scythae occidentem versus longe pertinent, usque in Hungariam nostram; quod qua ratione fiat, ex Hecataeo ipso non potui perspicere, quamquam argumentis reprobari non potest.

30) Herod. IV., 8. cf. Stanlej. ad Prometh. 2.

31) Pindar. hyporchem. 2, ap. Schol. Aristoph. Av. 941.

32) Pindar. fragm. inc. 114.

33) Herod. *ἐπίτροπον* eum vocat, quod priores vertebant: tutorem, Niebuhrius vero (Kl. vermischt. Schr. p. 354), recte: villicum.

34) Herod. IV., 16.

35) Porphyr. apud Euseb. praep. evangel. X., 3, p. 166.

36) Thucyd. II., 95: (cf. Bayer. p. 198) *ἰσχύει δὲ μάχης καὶ στρατοῦ πλήθει πολὺ δευτέρα μετὰ τῶν Σκυθῶν· ταύτῃ δ' ἀδύνατα ἐξισοῦσθαι οὐχ ὅτι τὰ ἐν τῇ Εὐρώπῃ, ἀλλ' οὐδ' ἐν τῇ Ἀσίᾳ ἔθνος ἓν πρὸς ἓν οὐκ ἔστιν ὅτι δυνατὸν Σκύθαις ὁμονοοῦσιν πᾶσιν ἀντιστῆναι.*

37) Diod. Sic. II. 44.

38) Herod. I., 216.

39) cf. Herod. I., 215 cum VII., 64.

40) Xenoph. Cyrop. I., 1. c. 4: *ὁ μὲν Σκύθης, καίπερ παμπόλλων ὄντων Σκυθῶν, ἄλλου μὲν οὐδενὸς δύναιτ' ἂν ἔθνους ἐπάρξαι, ἀγαπῴη δ' ἄν, εἰ τοῦ ἑαυτοῦ ἔθνους ἄρχων διαγένοιτο*, cui opponitur Cyrus.

41) Hippocr. in libro de aëre etc. cf. Niebuhr. p. 356.

42) Scylax 69 p. 29. cf. Klausen.

43) idem 78 p. 32.

44) cf. Ukert. geogr. I. 2, p. 292.

45) cf. Klausen. ad Hecat. p. 272. Niebuhr l. cit. p. 105.

46) Strab. VII., p. 469.

47) Strab. I. p. 33. B: *ὑφ' ἓν ὄνομα τῶν καθέκαστα ἐθνῶν ταττομένων διὰ τὴν ἄγνοιαν.* cf. p 129. B. C. 511 A. etc.

48) Strab. p. 114. C.

49) idem p. 492 C. 74. D.

50) idem p. 507. B.

51) id. p. 302. l. 492 C. — 309 A. 311 A. 535 D. 308. A. et D. p. 300. D. 298, D.

52) Strab. p. 300 D. 301 A.

53) id. p. 311 B.

54) Ephor. ap. Strab. p. 302 C.

55) Strab. p. 311 A.

56) Polyb. IX, 34, 11.

Nota 57—78.

57) id. IV. 43, 2.

58) id. XI, 34, 5.

59) Plin. Hist. nat. IV, 25. (12).

60) id. II, 67. cf. VII, 2. VI, 14.

61) Plin. Hist. nat. 8, 15.

62) Plin. Hist. 31, 39. 4, 25.

63) id. 6, 19.

64) id. 37, 11. 4, 27. Diodor. V, 23.

65) 10, 50. ib. 70. 6, 22. 37, 17. Diodorus (quod mirum) etiam Scythas australes habet in insula Panchaea, V, 42.

66) 6, 19. 7, 2.

67) 4, 25. 6, 7.

68) Niebuhr. l. cit. p. 393.

69) Arrian. exped. Al. IV, 1.

70) Adam. Brem. hist. eccles. p. 58 ed. Fabr. cf. Bayer. p. 208.

71) Liebusch in libro: Skythica; nihil enim de Scythis inest; sed agitur de cultu Slavorum montano.

72) Hodie hoc professus est Halling in historia Germ., sed nondum opus integrum in lucem prodiit.

73) ἐπὶ πρήσει, male olim vertebatur: ad torrendum; est potius ad vendendum, quum dicatur: οὐκ ἐπὶ σιτήσει. Herod. IV, 17.

74) Capitolin. vit. Anton. cap. 9.

75) Herod. IV, 18.

76) Herod. IV, 45. Diod. I, 55. Scylax. 69 p. 30, Scymn. Chius fr. r. 133 sqq. Strabo VI, p. 399. Tzsch. XI. p. 270. Dionys. perieg. v. 14: Eustath. comment. p. 5 Vibius Sequest. p. 204 ed. Oberl. Arrian peripl. Pont. Eux. ed. Huds. p. 19 qui Aeschylum vituperat, quod in Prometheo soluto Phasin dixerit terminum. Ita Tanaïs fuit etiam Ephoro fundamentum quasi divisionis gentium Scythicarum et Indicarum, eumque secuti sunt Scymnus p. 10. ed. Huds. v. 170. Cosm. Indicopl. ap. Montfauc. nova coll. patr. II, 148.

77) Herod. IV, 116. cf. cap. 21: ἡ μὲν πρώτη τῶν λάξιων Σαυροματέων ἐστὶ etc., ubi merito Wesselingus: „Nollem Bayerus historiae patrem erroris postulasset, quo Lazios in appellativum converterit nomen. Nimium indulsit suspicaci ingenio. Lazos seu Lazios serior novit aetas, neque eo loco, quem scriptor designat, sed ad Phasin amnem ap. Procop. bell. Pers. lib. II.“ (etiam ap. Tzetz. Lycophr. 144, qui ad Colchos) et ap. Stephanum, qui ad Scythas eos refert). Omnino recte se habet lectio τῶν λαξίων, ut mox: δευτέραν λάξιν. Glossator ad hoc: λάξις, μερισμὸς, κλῆρος.

78) Huius discriminis negligens est Diodorus II, 44 sqq; idem vero historiam Amazonum queritur negligi: κατὰ

Nota 79—87.
τοὺς νεωτέρους καιροὺς — μύθους ἡγοῦνται πεπλασμένους τὰς περὶ τῶν Ἀμαζονίδων ἀρχαιολογίας. II, 46.

79) De Budinorum sedibus praeter alios disputavit Heerenius Id. tom. II. p. 761; eas ponit in Kasania et Saratovia; quanto iure id fecerit, ipse viderit. Notum est praeterea multa agitata esse de hoc populo mirabili; Mannertus e. g. (geogr. III. p. 13) eos Germanos fuisse contendit, Bayerus contra (opusc. p. 88) Scythas vel Getas; cf. etiam Girtanner in libro: Ueber das Kantische Prinzip für die Naturgeschichte p. 83 sq.

80) „Ridiculum est quod interpretes cogitarunt de animalculis, (cf. Arrian. peripl. p. 18 Huds.), quamvis iam schol. Lycophr. Cass. v. 1383 ap. Tzetz. dicat: *Φθεὶρ ὄρος καρίας, διὰ τὸ πολλὰς φθεῖρας ἔχειν· φθεῖρες δὲ λέγονται οἱ καρποὶ τῶν πιτύων, ἤτοι τὰ λεγόμενα στροβίλα, ὅτι ἐοίκασι φθειρσίν.*" Ita Ritterus sentit speciosius ille, quam verius disputans; fortasse quod Budinos Germanorum maiores credens eos purgare ab opprobrio studuit. Certe Tzschukkius ad Mel. I, 1 monet hoc refragari veterum narrationibus, et adesse recentiorum de Tataris hodiernis testimonia.

81) Ita habent nonnulli codices Herodoti IV, 23, legiturque apud Zenob. proverb. V, 25. Plinio sunt Arimphaei, itemque Melae Arymphaei.

82) Praecipue e genere quodam arborum, quod Ponticum appellabant; hoc et dormiendi habitandique rationem fuisse Herodotus describit IV, 23

83) Ritterus in libro: Vorhalle europ. Völkergesch. fusius de hac quoque re agit.

84) Gatter. comment. soc. Gotting. XIV. p. 13.

85) Vox Scythica secundum Herodotum; *ἀρίμα* enim Scythice unum significare, *σποῦ* vero oculum. (Falso Eustath. ad Dionys. periëg. 31 affert ex Herodoto: *ἄρι* unum, *μασπός* oculus). Hoc est unum ex paucis eisque incertis Scythicae linguae monumentis. Praeterea *Παρθοὶ* fuerunt fugitivi secundum Steph. Byz. p. 628 ed. Berkel. *Οἰορπάτα* viricida sec. Herod. IV, 110. Huc accedunt deorum nomina. Si ex sermone Scythae illius apud Aristoph. Eccl. licet coniicere, Scythae aspirationem spreverunt, coacervationem vero consonarum amarunt; ceterum quae loquitur, sunt tantummodo male Graeca. Eodem se modo Triballi oratio in Avibus habet, paullo aliter vero in Plauti Poenulo, act. V. scen. I, ad quem cf. Bellermann. — Caeterum de Arimaspis Aristeas carmen illud condidit; ex illis Homerum Cyclopes suos finxisse imprimis Strabo auctor est, ed. Paris. p. 21 D. De Zathrauste, bono eorum genio et legislatore, cf. Diod. I, 94.

87) Hos iam Plinius ridet, hist. nat. X, 70 sive 49. Quae Ritterus suspicetur de significatione eorum symbolica, iam allatum est supra.

Nota 88—113

88) Longus Pastoral. III, 5. qui locus secundum Bothium ad Hom. Il. X. 244 est ex lyrico quodam:

— ἔρωτι δ' ἄρα πάντα
βάσιμα, καὶ πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ Σκυθικὴ χιών.

Caeterum omnis illa regio Plinio est Pterophoros. Eandem metaphoram habet Psalmista 147 v. 16. Arnob. II. p. 105. Nec tamen Herodotus omnino de illa interpretatione sibi constat, dicit enim tantum c. 31: τήνδε ἔχω τὴν γνώμην.

89) Justin. II, 2.

90) Herod. IV, 49.

91) Herod. IV, 48 sq.

92) Herod. IV, 99.

93) Herod. IV, 53. cf. cap. 17.

94) ibid. cap. 101.

95) Larcher. in annot. Her., tom. III. p. 511.

96) Ita nuperrime Doenniges in commentat. de geogr. Herod., ubi in tabula annexa plane Niebuhriana imago apparet (cf. explicat. p. 41); item in descriptione et interpretatione Baehrii ad locum Herod. laud. IV, 101.

97) cf. V. D. Koehler in dissert. Franco-Gallica sur le Cours d' Achille cet. (δρόμος Ἀχιλλέως), p. 22.

98) Niebuhr. l. cit. p. 157.

99) Strabo p. 312 B. ed. Paris., qui omnino cum Herod. consentit; hic enim IV, 100: Τὸ δὲ ἀπὸ τῆς Ταυρικῆς ἤδη Σκύθαι τὸ κατύπερθε τῶν Ταύρων καὶ τὰ πρὸς θαλάσσης τῆς ἠοίης νέμονται, τοῦ τε Βοσπόρου τοῦ Κιμμερίου τὰ πρὸς ἑσπέρης κ. τ. λ.

100) Herod. IV, 121.

101) ibid. 119.

102) Herod IV. 47, 48.

103) cf. Niebuhr. l. cit. p. 356.

104) Herod. IV, 11. 51.

105) Herod. IV, 52. Ita etiam Eustath. ad Dionys. 1143. Mela II. 1, 65.

106) Koehler mém. sur le Cours d' Achille etc. p. 126.

107) Ritter. l. cit. p. 185.

108) Plin. hist. nat. VI, 7.

109) Ceterum Hypanis nomen videtur quasi collectivum esse. Plinii Hypanis, qui „per Nomades et Hylaeos fluit manu facto alveo in Bugen" (IV, 24. 26) fortasse error est. Tum, qui hodie Kuban, Strab. XI, 2 p. 381 Tzsch. Ptolem. V, 9 p. 130. Asiaticus Diodori (II, 37. Wess. p. 150), qui est Hyphasis Arriano. (exp. Alex II, 25).

110) Nomen est secundum Koeppenium (Lit. Ponti septentr. antiquitt. p. 13): fluvius septentrionalis, Borysden, den enim sive dan signif. fluvium (Danubius, Danaster, Tanais); terminatio vero σθένης ex analogia graecissat.

111) Herod. IV, 53. Voelker geogr. myth. I. p. 174.

112) Anon. peripl. Pont. §. 12. Gail. tom. III p. 218. Creuzer. Annal. Heidelberg. 1822. p 1236.

113) Olim legebatur ap. Herod. Δήμητρος IV, 53, Baeh-

Nota 114—142.
rius vere suadentibus libris scripsit *Μητρός*. Egregie haec faciunt ad Ritteri coniecturam, ab ipso omissa.

114) Steph. Byz. p. 232 ed. Berkel. Hesych. p. 744 Alb.

115) Scylax 69 p. 30.

116) Mela I, 19.

117) Herod. IV, 82. cf. 47.

118) Plin. VI, 23. cf. A. Guil. Schlegel. bibl. Ind. II, 3 p. 304. Caeterum auctor est illius falsae emendationis Is. Vossius ad Scylac. v. 12. p. 31, ed. Huds. 40.

119) Hippocr. de aëre §. 96: *ὥστε τὸν μὲν χειμῶνα αἰεὶ εἶναι, τὸ δὲ θέρος ὀλίγας ἡμέρας, καὶ ταύτας μὴ λίην.*

120) Plin. hist. nat. II, 15. Herod. IV, 28.

121) Aristoph. Ach. 704. cf. Freinsh. ad Curt. VII, 8, 23.

122) Herod. IV, 58. Idem de amaritudine herbarum Ponticarum Ovid. praedicat Pont. III, 1, 24. 8, 16. 9, 37. IV, 10, 18, non est igitur emendandum, ut fecerunt nonnulli. Caeterum haud scio, an aliter paullo intelligendus sit Plinius, quum scribit equos vescentes illo gramine abunde ita firmari, ut duodecim dies sine victu et potu possint perdurare (Rennthiermoos?)

123) Herod. IV, 74, 75. Ritterus si Scythas putat eam tractasse (Vorhalle. p. 47), verbis Herod. refellitur. Caeterum Laurentius Valla ad hunc locum monet, omnino canabis mentionem primam ibi facere patrem historiae.

124) Herod. IV, 105.

125) Aristot. *περὶ ζώων γενέσ.* V, 3.

126) Herod. IV, 81.

127) De Hylaea cf. praeterea Plin. hist. nat. IV, 26. Mela II, 1, 45. Anon. Peripl. §. 3.

128) Herod. VII, 64. Plin. hist. nat. VI, 19.

129) Herod. VII, 9.

130) Strab. XI, p. 482 Tzsch. cf. Bochart. geogr. sacra c. 113, 60.

131) Plin. hist. n. loco cit. VI, 19.

132) Diodor. Sic. II, 35.

133) ibid. c. 34.

134) Tzetz. chil. *ιά. στίχ. ωζδ'*:

Τοὺς Σάκας ἔθνος γίνωσκε, ὧν εὕρεμα τὸ σάκος,
Καὶ αἱ γυναῖκες τούτων δὲ συμμάχονται ἀνδράσιν.
Ὡς ὁ Κτησίας εἴρηκε καὶ ἕτεροι μύριοι·
Αἱ τῶν Σακῶν γυναῖκες δὲ μάχονται δὴ ἀφ' ἵππων
Καὶ πάλιν δέ· Στρυάλιος ἀνήρ τις ἐκ τῶν Μηδῶν
Γυναῖκα τῶν Σακίδων μὲν καταβαλὼν ἀφ' ἵππου, κ. τ. λ.

135) Herod, III, 93.

136) ibid. VII, 64.

137) ib. I, 153.

138) Diod. Sic. XI, 7.

139) Herod. IX, 31.

140) Herod. IV, 59.

141) id. IV, 127: *Ἱστίην, τὴν Σκυθέων βασίλειαν.*

142) Ritter. vestib. p. 91.

Nota 143—158.

143) Ap. Hesych. (I. p. 847) est Γοιτόσυρος, ap. alios rursus Γογγόσυρος. c. Baehr. ad Herod. IV. 59.

144) Inter Gudianas est p. 56 n. 2.

145) Λέγεται μὲν ἐκεῖ Ὄσιριν ζεύξαντα βοῦς ἀρόσαι τὴν γῆν, Steph. Byz. p. 618 Berk. Eustath. ad Dionys. p. 54 sq.

146) Eustath. comm. ad Dionys. p. 30. v. 163. Minus probari possit, si Ritterus Μῆτιν, Jovis sociam (Theogon. 886) cum illa Maha-mai coniungit.

147) Herod. IV, 82.

148) Ritter. vestib. p. 340, cf. Barth. in libro vernaculo: Cabires in Germania, p. 153. 168.

149) Aristot. mirab. auscult. c. 100 p. 202 Beckm.

150) cf. Aelian. Nat. anim. XII, 34. In pellibus coquendi morem Arabes etiam Beduini habere dicuntur: eum olim apud Scotos obtinuisse Barnes. ad Eurip. Cycl. 359 refert hodieque Tatarorum plures Witsen. Tatar. descript. p. 659. Hos laudat Wessel. ad Herod. IV, 61. p. 473. Meam memoriam subit etiam Ulixes Homeri multa meditatus et in corde iactans, „quasi quis ventrem in igne versetur.

151) Gladii illius Martii etiam apud Hunnos fuit cultus, secundum Jornandem, cf. Wessel. Herod. IV, 62: et apud Alanos, cf. Ammian. Marcell. XXXI, 2.

152) Herod. IV, 7: ὃς δ' ἂν ἔχων τὸν χρυσὸν τὸν ἱρὸν ἐν τῇ ὁρτῇ ὑπαίθριος κατακοιμηθῇ, οὗτος λέγεται ὑπὸ Σκυθέων οὐ διενιαυτίζειν. Δίδοσθαι δέ οἱ διὰ τοῦτο (?) ὅσα ἂν ἵππῳ ἐν ἡμέρῃ μιῇ περιελάσῃ αὐτός. Imprimis Larcherus animum attendit, sed nihil confecit.

153) Hoc simillimum esse Drudis Germanorum (Tac. 10) adnotare non supersedebunt, qui hos Scytharum posteros facere student; sed potest multis gentibus fuisse commune. De Alanis idem refert Amm. Marcell. XXXI, 2.

154) Stark: De νούσῳ θηλείᾳ ad. Herod. prolusio, Jenae 1827 p. 25. A multis ambitiose quaesitum est de ea re; locupletissimus inter veteres auctor est profecto Hippocrates, de aëre p. 293: εὐνουχίαι γίνονται καὶ γυναικεῖα ἐργάζονται, καὶ ὡς αἱ γυναῖκες διαλέγονταί τε ὁμοίως etc. cf. Aristot. eth. Nicom. VII, 8. intpp. ad Herod. I, 105. Nuper compertum est, illum morbum hodieque in illis regionibus (quamvis haud ita frequenter) obtinere. cf. Reineggs Topogr. Beschreibung v. Kaukas. 1716. tom. I, p. 269. Histoire primitive des peuples de la Russie, par le Comte Jean Potocki, Peterb. 1801. p. 175. Klaproth, Reise in d. Kaukas., Hal. et Berol. 1712. p. 283 sqq. —

155) Herod. IV, 62. 66.

156) ibid. IV. 128 mox 126.

157) Praeterea secundum Lucian. Toxar. Scythae etiam iurabant per ventum animae auctorem, et per gladium auctorem mortis (sive potius Martis simulacrum).

158) Ritterus etiam per Vestam eos iurasse narrat (p. 91),

quod solis cultum ostendere possit; nihil de hac re compertum habeo. Nec quod Vestae signum fuerit ante regiam, inveni in loco laud. Diod. V, 68; ne alio quidem loco hic ea habet. Est scriptoris recentioris error et fortasse ex memoria infida fluxit, quum Persae cum Scythis miscerentur.

159) Plaustrum concameratum ubi sarmentis referserunt, bobusque iunxerunt, illos pedibus colligatis, manibus post tergum revinctis, ore obstruso extendunt, incensisque sarmentis territando boves agitant; quorum multi concremantur, multi ambusti aufugiunt cremato plaustri temone. Herod. IV, 69.

160) Herod. IV, 71.

161) Adeas, si plura desideras, virum doctissimum Is. Vossium multis de ea re disputantem; ad Melam p 102. Quaeritur enim, neque est ita inutilis quaestio, num forma fuerit C, an Σ; utrumque est sigma Graecorum.

162) Scythica sagitta, Ovid. Metam. X, 588. Mox Plin. hist. natus. XI, 115.

163) Herod. IV, 71. ibid. c. 3.

164) Lucian. in Toxar. Gregoras lib. II. cit. Bruzen la Mart. s. v.

165) Strab. p. 165 A. Casaub.

166) Herod. IV, 64. 65.

167) Fortasse ipsi Herodoto talia offenderunt. IV, 65. cf. praeterea Plat. Euthyd. p. 299 E. Idem de Boiis Livius XXIII, 24; de Alboïno Longobardo Paulus Diac. II, 14. Tzschukk. ad Mel. vol. III. ps. 2 p. 157.

168) Ita locum Herod. laud. recte intelligit Miot, male vero Larcherus al. Plenius Herod. III, 160, *παρὰ Δαρείῳ κριτῇ*.

169) cf. Bruzen la Mart. s. v. Scythae.

170) Plin. hist. nat. VIII, 66.

171) Strab. p. 312 C. Casaub.

172) Eustath. parecb. Homer. p. 2 Rom. cf. Bayer. opusc. p. 200. Inde etiam proverbium illud ortum, quod Pindarus respexit; cf. supra §. 6.

173) Hippocrates de huius conficiendi ratione fusius disputat in libro de morbis IV, 3: *καὶ ἱππάκην τρώγουσι, τοῦτο δ' ἐστὶ τυρὸς ἵππων*. Dionys. ap. Athen. p. 226: *ἱππάκης, βρῶμα Σκυθικὸν διὰ γάλακτος ἱππείου σκευαζόμενον.* Etiam Plin. hippace.

174) Ita Bayerus p. 201 *τυρός* quoque Scythicum esse contendit, quum Lithuanis tyre significet iusculum pingue ex farina, vel pultem; addidisset vellem hodieque zures esse caseum ipsum; sed nihili est. Sane Graeca originatio non exstat, nam quae est apud Etymol. M., nulla est. — Caeterum *τὸ βούτυρον* etiam (Butter) in voce *τυρός* includitur, antiquioribus Graecis incognitum. Herod. IV, 2. Hippocr. de morb. mul. 2 S. V. p. 235, 191 ed. Francof.; praeterea cf. Beckmann. Gesch. d. Erfind. III, 274.

175) Herod. IV, 29.

Nota 176—195.

176) Herod. IV, 63. Plin. hist. nat. X, 25 sive 30: (Scorpiones) in Scythia interimunt etiam sues, alioqui vivaciores contra venena talia, nigras quidem celerius; si in aquas se immerserint.

177) Herod. IV, 129.

178) Herod. IV, 28.

179) Clemens cohort. ad gent. p. 25 sive 8: *Σκύθαι δὲ μὴ παυέσθων τοὺς ὄνους ἱερεύεσθαι, ὡς Ἀπολλόδωρός φησι καὶ Καλλίμαχος.*

180) Strab. p. 312 C. Casaub., coll. Herod. IV, 61.

181) Strab. l. cit Plin. hist. nat VIII, 52 sive 34.

182) Herod. IV, 66. Ita etiam Negrorum principes conspecti sunt vinum aut aquam vitae multis subiectorum capitibus emere.

183) cf. Bayer. op. p. 199

184) Herod. IV, 46. Scymn. Chius fragm. 115. Adde Horat. Od. III, 24, 9: Campestres Sc., quorum plaustra vagas rite trahunt domos. Justinus quoque II, 3: uxores liberosque secum in plaustris vehunt; idem tamen feminas paullo ante dixerat viris fortitudine belli pares, ut etiam Florus I, 10, 9: ne quis sexus a laude cessaret.

185) Quare etiam *μολγοὺς* ap. Aristoph. Equ. 959 (male quidem) interpretantur *τυφλοὺς*, ex illo Horodoti loco IV, 2 et Homerico *ἱππημόλγοι.*

186) Herod. IV, 73.

187) Non ut crapulam inde efficiant, quemadmodum prius senseram; Herodotus tantum: *ὠρύονται*, h. e. eiulant, ut Pindar. de se ipso, Ol. IX, 109. De infusione seminis cannabini, qua Assissini inde nominati (Haschischim) ut themeto utebantur, v. Fr. Ruehs in commentatione: Die Assissinen, in libellis Musis inscriptis, ann 1813 p. 261 sqq. praeterea Kaempfer. amoenitt. exoter. fascic. III. p. 645.

188) cf. Maltebrun annal. d. voy. II. p. 152.

189) Herod. IV, 24.

190) Herod. IV, 79.

191) Herod. VI, 84. — *ἀποσκυθίσαι* vero est capitis cutem detrahere, ut Scythae inimicis caesis faciebant; tum de tonsura Steph: *τῷ σιδήρῳ τὰς τρίχας τεμεῖν.* Hesych: *περιτεμεῖν.* Suid: *τὸ ἐπιτεμεῖν τὸ ἐπικεφάλαιον δέρμα σὺν θριξί.* cf. Bayer. opusc. p. 212.

192) Plat. de legg. I. p. 515: *Σκύθαι καὶ Θρᾷκες ἀκράτῳ παντάπασι χρώμενοι, γυναῖκές τε καὶ αὐτοί, καὶ κατὰ τῶν ἱματίων καταχευόμενοι, καλὸν καὶ εὔδαιμον ἐπιτήδευμα ἐπιτηδεύειν νενομίκασι.*

193) Eustath. parecb. Homer. p. 398 ed. Rom. cf. Aristot. problem. III, 7.

194) *Ἡρακλέους μέγα ποτήριον πληρώσας ἐξέπιεν* Diod. XVII, 117. Caeterum adde Parmenon. Byz. ap. Athen. p. 221. Bayer. opusc. p. 215. 211. Athen. p. 524.

195) Strab. p. 512 D. Casaub. Horatius vero carm. I, 27: Natis in usum laetitiae scyphis Pugnare Thracum

Nota 196—219.
est; et mox v. 5: Vino et lucernis Medus acinaces Immane quantum discrepat. Apparet negligenter talia dici quovis barbaro populo nominato. Ita vero etiam Polyb. XXVII, 10 Cotyn ait suo tempore fuisse *νήπτην καὶ πρᾷὺν*, additque: *πάντα μᾶλλον κατὰ τὴν ψυχὴν, ἢ Θρᾷξ ὤν.*

196) Herod IV, 70. Mela II, 1, 120.

197) Haec Lucianus habet in Tox.

198) Strab. p. 311 B.

199) Strab. p. 300 D. 301 A.

200) Herod. IV, 104.

201) Herod. IV, 106.

202) Justin. II, 2.

203) Herod. IV, 94.

204) Herod. IV, 3.

205) *ὡς ὅτε τὶς κεραμεὺς τροχὸν αρμενον ἐν παλάμῃσιν* Strab. p. 302 C.

206) Herod. IV, 7.

207) Justin. II, 1.

208) Ammian. Marcell. XXII, 34.

209) Herod. II, 2.

210) Rennel. system. geogr. Herod. p. 410. cit. Baehr. ad Herod. IV, 5. Hammer. Gesch. d Osm. I. p. 1.

211) Barth. in libro: Die Kabir. in Deutschl., p. 168. 319.

212) Herod. IV, 6. 6. 7.

213) Diod. Sic. II, 43 Plin. hist. nat. VI, 7.

214) Graecorum fabulationes habet Herod. IV, 8—10.

215) Bochart. geogr. sacr. vol. II, in quo Phoenicum coloniae ex ordine tractantur.

216) Eius statuam minutam esse, quae e succino confecta apud Panticapaeum nuper reperta est, putat Baehrius ad Herod. IV. 10; mihi non Herculem, sed omnino Scytham aliquem videtur significare. Est autem vir braccis indutus, arcu et pharetra plena instructns, cornu potorium in manu tenet. cf. Choix de médailles antiques d' Olbiopolis, ed. de Blaremberg, Paris 1822.

217) Theocr. id. XIII, 55:

Ἀμφιτρυωνιάδης δὲ ταρασσόμενος περὶ παιδὶ
Ὤιχετο Μαιωτιστὶ λαβὼν εὐκαμπέα τόξα.

Schol. *Μαιωτ.*) *Σκυθιστί· ἐχρῆτο δ' ὁ Ἡρακλῆς τοῖς Σκυθικοῖς τόξοις, διδαχθεὶς παρά τινος Σκύθου Τευτάρου, ὡς ἱστορεῖ Ἡρόδοτος* (?) *καὶ Καλλίμαχος.* cf. Neocles Gramm. in Eustath. parecb. Hom. p. 715 ed. Rom. — Plato legg. VII, p. 571; Lach. p. 256 Henr. Petr. Etiam Lycophronis Casandra Teutarum Scytham, Amphitruonis bubulcum, Herculis magistrum fuisse arcumque ei donasse canit: eadem Philoctetem *ῥοιβῷ χεῖρας ὁπλίσαι Σκύθῃ δράκοντι* somniat. cf. Bayer. op. p. 216.

218) Ovid. Metam. V, 649.

219) *Ἀμύργιοι*, si licet cum Sanscrito conferre, sunt quasi finales, Scythae in finibus (Persici imperii) incolentes, ut me docuit vir clarissimus P. a Bohlen.

Nota 220—243.

220) Rennelius geogr. syst. Herod. p. 409 cit. Baehr. ad Herodoti l. laud. IV. 19.

221) Heeren. Id. I., 1 p. 123. I. 2 p. 302.

222) Strab. VII. p. 333 Tzsch.: *τὸν ἱερώτατον παρ' αὐτοῖς λέβητα.*

223) Justin. II. 5. Baehr. ad locum Herod. IV. 4.

224) *ὅσον μὲν ἡμεῖς ἀτρεκέως ἐπὶ μακρότατον οἷοί τε ἐγενόμεθα ἀκοῇ ἐξικέσθαι.* H. IV. 16.

225) Palmer. exercitt. ad Gr. auct. p. 21.

226) Cic. Tuscul. III., 8,

227) Araxis nomine apud Herod. ut minimum sex fluvios comprehensos esse putat Doenniges, in commentat. de Geogr. Herod.

228) Herod IV. 102. Quod Scylax Gelonos habet etiam ad orientale Maeotidis litus, Colchis finitimos, (p. 32 Huds.) ex eo nihil effici posse videtur.

229) Voelker. geogr. myth. p. 179. cf. Ritter. Vorh. p. 344. 358.

230) Gatterer. Comm. societ. reg. Gotting. vol. XI. p. 140.

231) Heeren. Id. I. 2 p. 271.

232) Ritter. Vorh. p. 286.

233) Hammer. Ann. Vindob. IX. p. 13. — Hos 28 annos apparet Herodotum non comprehendere in tempore regni Medici, sed quasi interregnum habere, quum dicat I., 130: *παρὲξ ἢ ὅσον οἱ Σκύθαι ἦρχον.* Ita etiam Graffius rem interpretatur, in comment. de chronol. orient., Wetzl. 1828; hunc refellere studens Baehrius argumentatur tumultuarie, in exc. ad l. laud., tom. I. p. 900.

234) Heeren. Id. I., 2 p. 261.

235) Plin. hist. nat. IV. 26. Strab. VII. p. 303. Mela II, 1, 31.

336) Constant. Porphyrog. (admin. imp. 42) se reliquias vidisse narrat, sed recentiores eum lapsum esse putant. cf. Danvill. in Mém. de l' Acad. des Inscr. tom. XXXV., 581. Mannert geogr. p. 294. Niebuhr. miscell. p. 157.

237) Reichard. in Hertha, 1828, I. p. 11 cf. Völker geogr. mythica p. 177.

238) Herod. I. 73.

239) Ptolem. geogr. IV. c. s. cf. Bruzen. la Martin. s. v.

240) Polyb. V., 70, 4. Fuit ad australem angulum lacus, cui in septentrionali adiacet Philotera, et ad Jordanem. Strabo p. 763 B. eam esse dicit *περὶ Γαλίλαιαν.*

241) Plin. hist. nat. V. 16 sive 18.

242) Diod. Sic. II. 43.

243) Herod. II. 103. cf. 110.

Nota 244 — 260.

244) Justin. II. 4 Vexorim eum appellat, Oros. I. 14. Vesogeum, Jornandes Vesosim. Justinus praeterea longissime discedit ab Herodoto, quum dicat, Scythas Vexorim fugatum persequentes, paludibus tantum ab Aegypto interclusos esse, tum Asiam occupasse, post XV. vero annos precibus feminarum obtemperantes rediisse. Tum: „His igitur per mille quingentos annos Asia vectigalis fuit." Apparet aut ipsum scriptorem parum habuisse de illis rebus cognitum, aut epitomatorem sua conscripsisse nullo iudicio.

245) Tacit. Annal. II. 60. Diod. Sic. I. 55.

246) Diodorum non dignum esse, cui fidem habeas, propterea persuasus sum, quum eum ex Herodoto pessime hausisse videam et omnino magnam esse eius incuriam, ut: *περὶ Μαιῶτιν λίμνην συστήσασθαι τὸ τῶν Κόλχων ἔθνος.*

247) Herod. IX. 27.

248) Pausan. 1. 417.

249) Pausan. I. 2 init.; ib. 38, 9.

250) Justin. II. 4.

251) Herod. IV. 1. Justin. II. 5.

252) cf. Dahlmann. Herod. p. 160 sqq.

253) Herod. IV. 83 sqq.

254) Huius pontis etiam Polyb. meminit, IV. 43, 2. Locus fuit inter templum ad ostium Bospori, et Byzantiorum urbem. Herod. IV., 85.

255) Has postea Byzantii in oppidum contulerunt eisque usi sunt ad exstruendam Dianae Orthosiae aram; unicus lapis reliquus fuit apud Dionysi templum, plenus literis Assyriis. Herod. V. 87.

256) Per breviloquentiam Justinus II. 5 in universum dicit fuisse DCC millia.

257) Herod. IV. 88. Versus non sunt admodum venusti, oratio subblandiens et servilis.

258) Herod. IV. 91.

259) Herod. IV. 92—98. Notandum est, monente Dahlmanno, maximas et primas partes in hoc bello fuisse Graecorum Asianorum. Horum classis fuit, hi pontem fecerunt, hi reditum tuiti sunt, Coës fuit Lesbius, Mandrocles Samius, Histiaeus Milesius.

260) Haec legatio maximam partem videtur ab Herodoto ficta esse. Darius non Scythas tantum subigere vel punire in animo habuit, alioquin caeteras gentes non debellasset; et Scythae ipsi secundum Herodotum orientalium tantum vicinorum opem nacti sunt, h. e. praesente Dario in fines illorum se receperunt. Facile autem hoc potuit per vitae rationem fieri, nec caussa fuit, ut magnopere resisterent.

Nota 261—287.

261) Timendum potius de salute regi fuit, ne a ponte Istri intercluderetur, quod etiam factum esset, nisi Histiaeus ponti rescindendo acriter se opposuisset.

262) Tamen nihil opus fuit, ut horum fines attingerent.

263) Hoc postulatum fuit impudentissimum, illuc imprudentissimum. Num Darius opinatus est fore, ut Scytham contra huius utilitatem moveret ad manus conserendas?

264) Herod. IV, 102; tum 119—127. Similia Strabo p. 311 D. narrat de Syrmo Getarum rege, cum Alexandro Magno bellum gerente; et de Dromichaete, Lysimachi adversario.

265) Plures etiam res commemorat Clem. strom. V. p. 671 ex Pherecyde; cf. fragm. Sturtz. p. 57.

266) Herod IV, 131 sqq.

267) Justin. II, 5.

268) Herod. IV, 139—142.

269) Herod. IV, 78—80.

270) Justin. IX, 1.

271) Diod. Sic. XVI, cf. Bayer. p. 213. Frontin. Strat. II, 4.

272) Plutarch. apophtegm. p. 174. De Fortuna Alex. p. 334. Secundum Epicur. suav. vivi n. p., p. 1095.

273) Diod. Sic. XVII, 59. Curtius IV, 15.

274) Argum. Diod. lib. XVII; in ipso contextu lacuna illo loco est.

275) Justin. II, 3. cf. XII, 2. XXXVII, 3.

276) *ἐν τοῖς ἀριστεροῖς τοῦ Πόντου* (Diod. XIX, 73), h. e. secundum Strabonem: (XII. p. 816) *καλεῖται δὲ τὰ ἀριστερὰ τοῦ Πόντου Θρᾳκικά.* cf. Wessel. ad Antonin. itin. pag. 227.

277) Diod. XIX, 73.

278) Qui in Maeotidem influit. Ptolem. geogr. V, 9 p. 149.

279) Diod. Sic. XX, 22 sq.

280) Diod. Sic. XX, 24.

281) Appian. p. 412 ed. Toll.

282) Strab. p. 2 B. 30

283) Haec Strabo compluribus locis in transgressu attingit, quos habes ap. Bayer. p. 229 sqq. De Roxolanis cf. Strab. p. 306 C. Niebuhr. l. laud. p. 388.

284) Strab. p. 312 B.

285) Memn. ap. Phot. p. 378. Justin. XXXVIII, 3.

286) Memn. ap. Phot. p. 373.

287) Appian. p. 399 ed. Toll. *ἔθνη πολεμικὰ καὶ ἀλλότρια.*

vertendum est sec. R.: ante, quod omnino fieri nequit; quamquam res ad nostram interpretationem (§. 16) proxime accedit.

p. 285. „Κρημνοί num sit Stari-Krim?“ Lana caprina.

p. 295. Sindicen urbem R. dicit a scriptoribus laudari vel cum vel sine agro; nullus est qui commemoret.

p. 302. „Maris, Tacito Marus, Plinio Morus, est hodie March.“ Sane, sed nominnm similitudo testimonium non est.

p. 303. Agathyrsorum esse in Ruthenia quaedam certissima vestigia R. putamat; sed res nihili est, versatur tantum in nominibus.

p. 307. *μέχρι μὲν νῦν Γέῤῥου χώρου*, wörtlich: bis zur Gegend des G. Flusses (sic!).

p. 310. Gerrhus *κατὰ τοῦτο τῆς χώρης, ἐς ὃ γινώσκεται ὁ Βορυσθένης* ab hoc recedit;“ Bei der Gegend vorbei, wo man den B. erblickt. Ibique R. se excusatum vult, quod nulla alia ratione rem intelligere queat.

p. 317. Ex Herod. illo capite IV, 101 vertitur sine omni fide: „Ita Scythia est quadratum, cuius latera tum mare versus tum ad inferiorem terram sunt paria.“ Longe alius Herodotus.

p. 318. Miram Reichardus coniecturam exhibet: „Da H. durchaus wissen musste (?), dass Scythien kein gleichseitiges Viereck war; so ist zu vermuthen, dass er durch ein Quadrat nicht die Gestalt des Landes ausdrücken wollte, sondern die kleinern Theile zusammengenommen und das Ganze etwa quadratisch genommen (!). Ne plura dicam, — fateor me hoc non intelligere.

Tauros R. putat esse reliquias Cimmeriorum a Scythis debellatorum, secundum Mannertum. Tum p. 319 Cimmerii rursus Germani fiunt. Oportet me addere, quod nunc demum comperi, scil. Cluverium nostrum iam eandem habuisse sententiam, quam equidem excogitavi. (Germ. ant.)


Quae est reliqua pars, in explicando Ptolemaeo versatur neque ad nostrum argumentum pertinet.



Scytharum terra
ad mentem
Herodoti.

SCYTHIA

Palus
Neuri
Androphagi
Desertum.
Locus Gerrhum (us ?)
Agathyrsi
Maris Fl.
Tiarantus Fl.
Ararus Fl.
Naparis Fl.
Ordessus Fl.
Pyretus s. Porata Fl.
Tyres Fl.
Albor
Mater Hypanis
equor. pascua
Scythae Aratores
Herc. vestigium
Fons
Hypanis Fl.
Exam paeus
Fons Darii ?
Ister Fl.
Getae
Tumuli Cimer.
Amazones
Callipidae
Tyritae
THRACIA
Ostia Istri
2000 stad.
Hippolai pr. cum T. (Cereris ?)
Emper. Borysth
Borysthenes Fl.
Scyth. Agricolae
Sc. Nomades
Gerrhus Fl.
Scythae Regii
2000
Carcinitis
stad. aspera
Tauri
Chers.
Bosp. Cim.
Pantieap pr.
Melanchlaeni
Hyrgis Fl.
Tanais Fl.
Oarus Fl.
Lycus Fl.
Cremni
4000 stadia
(Ex Budinorum terra)
Sauromatae
Maeotis Palus
Sindica
PONTUS EUXINUS
Linea recta ad Nili ostia
Senope
11000 stad.
3300 stad.
Themiscyra
Phasis fl.



Lith. Instit. v. E. J. Dalkowski

